ſed etiam diſcuſſione juris defuncti, Lott. *lib. 3. q. 13. a n. 32.* Roſa *n. 13. & iterum a n. 20.*

548 §. 15. Si moriatur unus collitigantium, docet Luca *diſt. 92. n. 35.* non poſſe ab ordinario Collatore, vel præſentatore ſurrogari ſuperſtitem, ſed contradicunt Covarr. Roch. Lancell. Pariſ. Garc. *p. 5. c. 9. a n. 220.* cum hic ceſſet ratio prohibitionis, nam ita ſurrogando non datur novus adverſarius: Et quando Ordinarius prohibetur ſurrogare alium, intelligitur alium a collitigantibus.

549 §. 16. In Gallia non habet locum Regula de ſurrogandis, nec *c. 1. & 2. Ut lite pendente, in 6.* quia animadverſum eſt dari occaſionem primis litibus frivolis, ut ſic eluderentur Ordinarii collatores, Rebuff. *in addit. ad Reg. Cancell.* de ſurrog. *Caſtell. de uſu, & praxi Curiæ Rom. pag.* 206. teſtantes beneficia litigioſa recidere ad manus Ordinariorum: idem paſſim fit in Belgio, eſtque forſan utile idem fieri in Germania, præſertim cum Concordata nihil habeant de hac reſervatione ob litigium, nec de ſurrogatione.

550 *Q. 71. Quid notandum ſit, circa gratiam, ſi neutri, ſi nulli?* R. ſeqq. §. 1. Gratia, *Si neutri*, conceditur illi tantum collitiganti, qui Apoſtolice proviſus eſt, & ſic quaſi firmatur prima gratia ipſi facta: dicitur, *Si neutri*, quia datur tantum ſub conditione, ſi neutri eorum ſit jus quæſitum, unde non tollit jus quæſitum ex præſentatione, vel proviſione, Ordinarii, &c. poteſtque etiam alicui tertio concedi, ſed, ſi concedatur collitiganti, non eſt opus juſtificare narrata in prima gratia, ſed tantum in hac ſecunda. Vide Roſa *de Exec. Lit. Apoſt. p. 1. c.* 18.

551 §. 2. Gratia, *Si nulli*, eſt ſimilis, & conceditur, ſi nulli ex pluribus, quam duobus collitigantibus ſit jus quæſitum. Vide Roſa *n.* 33. & Caſtrop. *tr. 13. d. 2. p. 31. §. 1. n. 2.*

Qu. 72. Quænam pactiones, vel compoſitiones ſint licitæ ad terminandas controverſias circa Beneficia? Reſp. Conſtabit ex ſeqq.

552 §. 1. Omnis ceſſio Beneficii, vel juris etiam dubii circa beneficium, ſi fiat propria auctoritate propter aliquid temporale, eſt ſimonica, uti tenent omnes cum Caſtr. *tr. 17. d. 3. p. 19. n. 1.* Nec poteſt abſque ſimonia ferri ſententia, ut unus ſolvat aliquid temporale pro jure ſpirituali ſaltem dubio, quod alteri competit: ſic enim temporale eſſet pretium ſpiritualis: ſi tamen quis habens jus in beneficio, per ſententiam cogatur dare aliquid temporale, cenſebitur dare ad redimendam vexam, Suar. Pirh. *l. 4. tr. 19. n.* 49.

553 §. 2. Si reſignes liti beneficiali, paciſcendo de recuperandis tuis expenſis, eſt ſimonia. Cap. *Cum pridem*, De pactis, Pariſ. Corr. Pirh. Vide dicenda *a n.* 1059. Idem eſt, ſi reſignes huic liti pro obtentione alterius Beneficii, quia eſt pactio in beneficialibus, quæ ſecundum dicta *l. 3. par. 1. n. 57. & 70.* prohibetur velut ſimoniaca, Azor. Suar. Lambert. Caſtr. Item ſi ex duobus electis alter alterum corrumpat, ut juri ſuo reſignet, Majol. Lott. Leur. *p. 3. q.* 751.

554 §. 3. Si duo litigent circa plura beneficia, illicita eſt pactio, ut hic unum, alter alterum beneficium habeat, quia, ut dictum eſt, in materia beneficiaria pactiones ſine auctoritate Superioris ſunt prohibitæ, & ſpeciatim hic, ubi cum jus utriuſque partis ſit dubium, non poteſt per voluntatem tranſigentium transferri hoc jus in illum, & illud in alterum, ſed hoc fieri debet auctoritate Superioris, Suar. *De ſimon. c. 51. n.* 14. Si tamen Cajus litiget pro habendo beneficio Titii, & Titius pro habendo beneficio Caji, poſſunt auctoritate propria paciſci, ut alter cedat a lite, ſi alter viciſſim cedat, quia ibi non fit compoſitio ſuper beneficiis, ſed ſuper lite tantum, Suar. *n.* 15. Si lis ſit ſuper aliis juribus ſpiritualibus, v. g. ſuper juriſdictione in locum aliquem, ſuper jure præſentandi ad beneficium, &c. poſſunt fieri tranſactiones, uti dictum eſt l. 3. p. 1. *n.* 114.

555 §. 4. Si duo litigent, habentes jura tantum ad beneficia Rayn. *lib. 2. ſect. 1. cap. 2. n.* 38. putat, ſi accedat Epiſcopi auctoritas, fieri poſſe compoſitionem, permutando jus unum cum altero; & idem videtur inſinuare Suar. *n.* 16. & 20. ſed Caſtrop. *num.* 2. requirit ad hoc auctoritatem Papæ, quia permutatio jurium ad beneficia fieri non poteſt apud Ordinarium, ut dicetur n. 1085.

556 §. 5. Poteſt fieri compoſitio inter litigantes, per ſententiam judicis ordinarii, vel delegati, vel arbitrorum Eccleſiaſticorum, aut compromiſſorum a Superiore deputatorum pro tentanda concordia, qui accedente partium conſenſu, & compromiſſo adjudicent beneficium illi, pro quo videtur eſſe jus probabilius, eique imponant pendendam alteri certam pecuniam, vel aliud temporale, non in compenſationem juris, ſed ob bonum temporale pacis, & ut a lite etiam in temporalibus noxia recedatur, Cap. *Non ſine*, 2. De arbitris, Barb. *De jure Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 15. num.* 50. Poteſtque etiam eſſe penſio annua in certa quantitate impoſita, non beneficio, ſed beneficiato, & ad vitam hujus tantum beneficiati, uti habetur cap. *Niſi eſſent*, De Præb. Imo putant Abb. Cardin. Caccialup. Gamb. Mandoſ. Redoan. Duenn. Cuch. Suar. *num.* 18. Caſtr. *num.* 5. Rebuff. *c. 10. num.* 16. Grat. apud Dian. *p. 9. tr. 9. R.* 47. Etiam ab Epiſcopo poſſe imponi ad vitam penſionarii, vel beneficio, vel per conſenſum hujus beneficiati etiam ſucceſſoribus, quia cap. *De cetero*, De tranſact. dicitur, quod penſio ſine auctoritate Epiſcopi impoſita durare non debeat, niſi ad vitam illius, qui ſolvit; ex quo inferunt poſſe per auctoritatem Epiſcopi imponi etiam ad vitam illius, cui ſolvitur, ſed communius contradicunt alii cum Fagn. ad cap. *Niſi* De Præb. & Luca *De penſion. d. 40. n.* 5.

557 §. 6. Si compoſitio fieret privata auctoritate partium, eſſet ſimoniaca, neque a Superiore approbari poſſet, Cap. *Niſi eſſent*, de præb. Garz. Chok. Leur. *qu.* 445. *num.* 1. Et ratio eſt, quia tum præſumitur dari temporale pro ſpirituali ob utilitatem perſonarum contrahentium; e contra Judex cenſetur intendere bonum pacis, & concordiæ, Suar. *num.* 19. Caſtrop. *num.* 6. Pirh. *num.* 39. *Nec obſtat*, quod volentes permutare poſſint paciſci de modo, ſub conditione, ſi Superior approbet, uti dicetur *n.*1106. nam hic obſtat ſpecialis prohibitio.

§. 7. Simonia eſt litem beneficialem privata auctoritate terminare interventu ſortium, quia eſt pactio in materia beneficiaria, Suar. *De ſuperſt. c.12. n.3.* Rayn. *c.2. n.* 25. poſſetque fieri, ut is, cui ſors faveret, reipſa careret titulo, quem alter litigans ei dare non poteſt. Quod ſi interveniat auctoritas Superioris potentis dare titulum, non videtur illicitum adhibere ſortes, nam licet in quibuſdam electionibus Eccleſiaſticis interdicatur earum uſus, nulla tamen hic eſt electio; nec beneficium recipitur ex vi ſortis, ſed ex vi juris prætenſi, ſortibus tantum removentibus obicem; Gloſſ. Abb. Suar. *n.*14. Rayn. *ſupra*. Quid fieri poſſit, ſi partes nec velint compoſitionem, nec ſortes, & ſit rationum æqualitas, dicetur *n.* 1495. 558

Q. 73. Quænam circa proviſionem beneficiorum ſit poteſtas Cardinalium, Legati Apoſtolici, Epiſcopi, Vicarii Generalis, Capituli ejuſque Vicarii, item Monaſteriorum? R. Videri poteſt Leur. *p.*2. De Cardinalibus, *q.*639. *& ſeqq.* De Legato Apoſtolico, *q.*649. *& ſeqq.* De Epiſcopo, *q.*664. *& ſeqq.* De Vicario Epiſcopi, *q.*681. *& ſeqq.* De Capitulo, Sede tam vacante, quam plena, & de ejus Vicario, *q.*696. *& ſeqq.* De Monaſteriis, Abbatibus, Abbatiſſis, &c. *q.*718. *& ſeqq.* Diximus etiam aliqua circa Epiſcopum, *n.*369. & 489. Circa Vicarium generalem, *n.*250. Circa Capitulum Sede vacante dicemus *n.*601. 559

Q. 74. Quid notandum ſit circa devolutionem beneficii? R. ſeqq. §. 1. Devolutio, eſt juris ad providendum translatio in alium, ob negligentiam, vel culpam illius, ad quem ſpectabat providere. Fit ob bonum Eccleſiæ, ne beneficia diu vacent, c.2. *De conceſſ. præb.* c. *Licet*, De ſuppl. neglig. prælat. 560

§. 2. Datur devolutio, 1. Si intra tempus a jure præſcriptum neglecta ſit proviſio: debet tamen probari ſciviſſe eum, ad quem ſpectabat providere, potuiſſe, & noluiſſe providere, Lott. *l.*2. *q.*24. *a n.*6. Leur. *par.*2. *q.*740. & *q.*745. *n.* 2. Neque hic exſpectatur purgatio moræ, ſed ſic evoluto tempore jam perditum eſt jus, Abb. Azor. Caſtr. *tr.*13. *d.*2. *p.*34. *n.*4. Barb. *De Pot. Epiſc.alleg.*73. *n.*169. Lott. *a n.*53. Leur. *q.*738. & 744.2. Ob proviſum ſcienter indignum, aut inhabilem, Garz. *p.*10. *c.*3.*n.* 3. Caſtr.*n.*5. 3. Ob dilatam nimium inſtitutionem, poſt appellationem legitimam, &c. Leur. *q.*177. Item ob negligentias alias in conferendo beneficio, &c. uti ſuis locis dicetur. 561

§. 3. Impedimentum, ſive facti, ſive juris, etiamſi ex propria culpa ſit cauſatum, dummodo non ideo ſit inductum, & non facile potuerit removeri, excuſat hic a negligentia, cap. *Quia diverſitatem*, De Conceſſ. Præb. Gutt. Lott. *a nu.* 18. fuiſſe autem legitimum impedimentum, probari debet a volente retinere jus, quia non præſumitur, Lott. *n.*22. Leur.*q.*741. 562

§. 4. Eevolutio, nihil immutat in beneficio, ſed debet hoc conferri ſecundum eaſdem qualitates, & conditiones, quas ſecum affert fundatio, Azor. Gonz. Gutt. Barb. Caſtr. *n.*3. Lott. *n.*63. Leur. *q.*743. hinc conferens ex devolutione videtur tantum præcipere poſſe, ut a ſe proviſus mittatur in poſſeſſionem ab iis, ad quos de cetero ſpectat. Vide Leur. *q.*748. 563

§. 5. Devolutio non fit ad parem, vel inferiorem, ſed ad Superiorem, ut inferioris negligentiam quaſi corrigat; hinc a Capitulo fit devolutio ad Epiſcopum, non contra, Caſtr. *n.*2. quamvis Azor. Rebuff. Garz. *n.*33. Pirh. *lib.*3. *tit.*8. *n.*34. putent etiam fieri ad Capitulum ab Epiſcopo, in beneficiis, quæ jure proprio confert, ob magnam communicationem, quam ad ſupplendum invicem habent caput, & membra, quod admittunt Laym. & Lott. *a num.* 40. quando Epiſcopus ſcienter indigno contulit, confirmavit, inſtituit, dicunt enim ex diſpoſitione juris, *cap. 2. De conceſſ. præb.* capitulum tunc fieri auctoritate ſuperiorem Epiſcopo. Si tamen Epiſcopus, & Capitulum habentes ſimultaneam proviſionem hanc diviſerint in turnos, & Capitulum, vel Canonicus pro Capitulo proviſurus in ſuo turno negligat, non devolvitur ad Epiſcopum, nam reſpectu hujus beneficii ſunt pares, ſed ad utriuſque Superiorem, *cap. 2. De conceſſ. præb.* Caſtr. *num.* 2. Garz. *num.* 35. Pirh. *n.*39. Leur. *q.*745. *n.*1. Quod ſi ſimultanee providere debeant, & unus negligat, totum jus devolvitur ad conſortem, ſi autem uterque neglexit tempus, devolvitur ad Superiorem, Luca, Leur. *q.* 751. An Capitulum Sede vacante poſſit providere de devolutis, dicetur *n.*601. 564

§. 6. Devolutio fit gradatim ab ordinariis Collatoribus ad Epiſcopum, qui tunc beneficia non exempta confert jure proprio, exempta autem, v.g. ſpectantia ad Regulares exemptos, ex delegatione Papæ, Luca *de Benef. d.27. n.* 10. Leur. *q.* 747. & *q.* 754. *n.*4. Similiter jus devolvitur ab Epiſcopo ad Metropolitanum, etiamſi Epiſcopus eſſet Cardinalis, Gonz. Garz. Leur. *q.*749. a Metropolitano ad Primatem, vel Patriarcham, ſi huic ſubjiciatur. Quoad electionem Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, devolutio fit ad illum, ad quem ſpectat confirmare, qui eſt ſolus Papa, Abb. Pirh. Leur. *q.*745. *n.*3. & *q.* 754. *n.* 7. Quod ſi is, ad quem facta eſt devolutio, ſcienter conferat illi, qui ipſo jure inhabilis eſt, devolvitur ad illius Superiorem; ſi conferat illi, qui tantum poſtea per ſententiam eſt redditus inhabilis, proviſio revertitur ad primum Collatorem, quia jam iterum vacat beneficium poſt proviſionem validam: ſi ignoranter conferat inhabili, non fit devolutio, ſed debet ſe corrigere ſubſtituendo habilem, Caſtr. *n.*6. Leur.*q.*746. Si vero Epiſcopus ob cenſuram providere non poſſit de beneficiis ſibi ſoli ſubjectis, providet Papa, *c. Quia diverſitatem*: De conceſſ. præb. Pirh. *n.*36. Vide Leur. *q.*752. Si Vicarius Epiſcopi contulit indigno, devolutio fit ad Epiſcopum, ſi tamen hic collationem ratam habuerit, fit ad Metropolitanum, Rebuff. Laym. Leur. *q.* 753. A legato de latere fit devolutio ad Papam, a Papa non fit devolutio, quia illi nunquam imputatur negligentia, Lott. *nu.* 66. Leur. *q.*744. Quomodo autem ſe gerere debeat, qui a Papa petit beneficium devolutum, V. Leur. *q.* 758. 565

§.7. Si

566 §. 7. Si negligatur præſentatio intra tempus a jure ſtatutum, devolutio videtur eſſe, non ad Archidiaconum, aut qui inſtituere ſolet, ſed ad Epiſcopum, tum quia Auctores paſſim dicunt, ſi inferior negligat, devolvi ad Epiſcopum, tum maxime quia omnes Epiſcopo inferiores non habent de ſe, ut conferant beneficia; imo inſtituunt nomine Epiſcopi, qui iis non commiſit niſi hoc, non autem, ut de devolutis provideant, & reipſa talis proviſio eſt collatio, uti recte Leur. *q.*177. *num.*1. collatio autem de jure ſpectat ad Epiſcopum. Oppoſitum videntur tenere Gloſſ. & Lott. Vide Leur. *q.* 754.

567 §. 8. Devolutio non habet locum in beneficiis affectis, vel reſervatis Papæ: Et quando quis habet indultum illa conferendi, ſi negligat intra tempus ſtatutum, redeunt ad Papam, Corr. Garz. *a n.*18. Quæ vacant in menſibus proviſoris ordinarii, vi alternativæ, devolvuntur immediate ad Papam, Lott. *nu.* 36. contra Gonz. Manualia devolvuntur cum amovibilitate proviſi, & datur in eis purgatio moræ, Garz. *a n.* 46. beneficia conventualia exemptorum, v. g. Abbatia, Prioratus, devolvuntur immediate ad Papam, Lott. *a n.* 47. Electiva devolvuntur ad eum, qui habet jus confirmandi, ut volunt Gloſſ. *n.* 4. Vide Leur. *q.* 754.

568 §. 9. Quilibet Superior, ad quem gradatim fit devolutio, habet ſemeſtre ad conferendum, a die notæ devolutionis, Azor. Corr. *lib.3. c.1. n.61.* Pirh. *n.*35. quamvis devolutio eſſet facta a laico, qui tantum habebat quadrimeſtre, Garz. *num.*9. Leur. *q.* 755. Si tamen Superior diſſimulet, valebit proviſio, uti & electio facta poſt tempus elapſum, prior enim proviſor cenſebitur id facere nomine Superioris, Azor. Rebell. Pirh. Leur. *q.* 756. Hinc infert Laym. *ad cap. Litteras*, De ſuppl. negl. *nu.* 1. probabile eſſe, quod ſic proviſus, quamdiu nemo ſe opponit, poſſit tuta conſcientia retinere beneficium, eo quod talis proviſio ſit de jure naturæ valida, quamdiu judex aliud non declaret, Pirh. *lib.1. tr.* 10. *num.* 3. *not.* 3. Vide dicta *num.*310. & dicenda *a num.* 836.

569 *Q. 75. Quid notandum ſit circa obtentionem beneficii per preces primarias?* R. ſeqq. §. 1. Per illas intelligitur indultum, quod Papa dat Imperatori, ut poſſit in ſingulis Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis per totum Imperium, prout nunc eſt, nominare aliquem ad unam primo vacaturam dignitatem, perſonatum, beneficium, vel officium, etiamſi per præſentationem, vel electionem alias conferatur; idque in quocumque menſe, quamvis Chok. *in ſch. ad prec. prim. p.*56. pro Leodienſibus dicat excipi menſes Ordinariorum.

570 §. 2. Imperator poſſet has preces cedere alteri, Chok. Leur. *par.*1. *q.*617. Dicuntur autem *preces*, quia Imperator non confert, ſed tantum petit conferri perſonæ a ſe nominatæ, *primariæ*, vel quia ſunt primæ, vel quia præferuntur cuivis alteri nominationi, vel quia tantum valent pro prima, & unica vice. Et ut habeant locum, 1. Fieri non debent ad dignitatem majorem poſt Pontificalem in Metropolitanis, & Cathedralibus, nec ad Principalem in Collegiatis, & apud Leodienſes, etiam non ad dignitates, aut beneficia electiva. 2. Ipſi collatores debent habere ſaltem quatuor beneficia in Imperio, quæ conferant, aut ad quæ præſentent. 3. Pro una perſona fieri debent ad unum tantum beneficium; non obſtat tamen aliquem habentem beneficium præſentari per preces, & ſimul retinere plura compatibilia. Vide Leur. *q.* 602. *& ſeqq.* Item *q.* 620.

571 §. 3. Cadunt ſub preces beneficia reſervata Papæ extra Extrav. *Ad Regimen*, Pirh. *De præb. n.* 582. *Vvagner.* ad cap. *Is, qui*, *De præb. p.*294. Chok. *pag.*29. Item devoluta ad Ordinarios, & reſignata in manus Ordinarii: E contra a precibus libera ſunt beneficia juriſpatr. laici, aut miſti, ſi competat ex fundatione, vel dotatione; item regularia requirentia profeſſionem religioſam; litigioſa, niſi ſi eſſet ſolum ſuper poſſeſſione devoluta ad Papam; reſignata in favorem; permutata; erecta poſt conceſſas preces; manualia, incorporata menſæ Epiſcopi, Capituli, vel Abbatis; exempta; commendata; item Officia cadentia in laicos. Vide Leur. *q.*607. 608. Item liberæ ſunt præbendæ Canoneſſarum, quia non ſunt beneficia, nec Papa ipſe habet de eis diſponere, ſecundum dicta *a n.* 229.

572 §. 4. Poteſt per preces nominari carens qualitate alias requiſita per ſtatutum, vel etiam per jus commune, dummodo diſpenſet Papa. Vide Leur. *q.*610. Nominatus autem per preces inſtitui debet ab Ordinario, uti probabilius tenent Engel. & Leur. *q.*613. contra Wagner. qui dicit inſtitui debere per executores precum, ab Imperatore cum auctoritate Papæ conſtitutos, de quibus vide Leur. *q.*614.

573 §. 5. Si Imperator moriatur poſt datam, & a preciſta admiſſam gratiam nominationis, quamvis nil amplius factum ſit, manet gratia, & eſt exequenda, quia dato, quod ſe habeat inſtar mandati, tamen res non eſt integra, cum Imperator jam dederit gratiam, ſitque acceptata, & gratia Principis debeat eſſe perpetua, Pariſ. Old. Moed. Leur. *q.* 615.

574 §. 6. Preciſta debet intra menſem a die notæ vacationis beneficii acceptare gratiam, dicendo ſe velle hoc beneficium vi precum, tumque collatori ordinario hanc ſuam acceptationem manifeſtare, Leur. *q.*621. Quo facto, debet executor gratiam exequi infra menſem, Leur. *q.*616. Nec impediri poteſt executio, vel poſſeſſio, quia indultum precum derogat omnibus aliis, Leur. *q.*622. *& ſeqq.* Si autem preciſta moriatur re non ſortita effectum, poteſt Imperator alium ſubſtituere, Leur. *q.* 618. Quid autem fieri debeat, ſi plures ad id beneficium nominentur, explicat Leur. *q.* 619. Quod ſi preciſta nolit acceptare primum beneficium vacans, poteſt expectare ſecundum, vel tertium, Chok. Pirh. Wagn. Leur. *q.*621. *n.*5.

575 §. 7. Præſcribi non poteſt contra indultum precum, quia contra privilegium conſiſtens in voluntate utendi non præſcribitur: Nec Papa illi unquam derogat. Preciſta amittit gratiam precum, ſi fiat inhabilis, &c. item ſi renuntiet, etiam tacite, v.g. ducendo uxorem, ſequendo militiam, &c. Chok. V. Leur. *q.*625. *& ſeqq.* item *Diſſertationem de primariis precibus* editam Friburgi 1707.

Q. 76. Quid dicendum ſit, ſi idem beneficium eadem, vel diverſa die pluribus conferatur, vel cedatur? R. §. 1. De hac concurrentia in data litterarum agitur, *c. Duobus*, 14. De reſcriptis in 6. ſed clarius in Regula Cancellariæ, Reg.17. *Item voluit, quod de concurrentibus in data ejuſdem diei ſuper vacantibus, ſeu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratiæ motu proprio concedantur, ceteris ſimili modo gratias non habentibus; alias graduati non graduati, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æquales graduatos prius graduati; nec non colorato titulo poſſeſſores non poſſeſſoribus: ac inter perſonas alias in Curia præſentes abſentibus ab ea; ac inter præſentes, non beneficiati beneficiatis, & ſimiliter inter abſentes ceteris paribus oriundus non oriundo, Diœceſanus non Diœceſano; in reliquis vero ſinguli, qui prius Apoſtolicas deſuper litteras earum executoribus præſentarint, aliis in ipſorum, de quibus agi contingerit, beneficiorum aſſecutione præferantur*, Reg.34. *Si ipſum reſignantem, ſeu cedentem pluries ſuper uno, & eodem beneficio in favorem diverſarum perſonarum ſucceſſive conſentire contigerit, voluit Sanctitas ſua, quod primus conſenſus tenere debeat, ac litteræ eorum prætextu etiam ſub priore data expeditæ pro tempore, nullius ſint roboris, vel momenti*. 576

§. 2. Si quis obtinuit gratiam ſub conditione, & hac necdum purificata, alius die eadem, vel etiam poſteriore obtineat pure, ſeu abſque conditione, hic prævalet, quia conditio ſuſpendebat proviſionem, alter autem interim acquiſivit jus in re, Cap. *Si pro te*, De Reſcr. in 6. Layman Lott. Leur. *p. 2. q.* 771. 577

§. 3. Si Papa volens concurrere, ſeu prævenire, contulerit eadem die beneficium Titio, & Ordinarius Cajo, qui etiam prior poſſideat, Cajus præfertur ſecundum dicta *n.*471. & 546. Si neuter poſſideat, nec ſciatur, quis prævenerit, præfertur Titius, quia eſt præſumptio pro falſo antidato Ordinarii, arg. c. *Si a ſede*, De Præb. in 6. Barb. Gonz. Caſtr. Luca, Pirh. Leur. *q.* 518. Si Cajus moriatur, & Ordinarius ſubſtituat Sempronium, quamvis hic ante Titium capiat poſſeſſionem, adhuc præferendus erit Titius, quia ſic deciſum eſt a Rota apud Gonz. & Leur. *q.*825. *n.*4. Quid autem requiratur ad faciendam fidem de anteriore proviſione Ordinarii, Vide Leur. *q.*519. Si tam Titius, quam Cajus ceperit poſſeſſionem, & proviſio ſolius Caji exprimat horam, præfertur Cajus; ſi Titius poſſideat, quamvis proviſio hujus non expreſſerit horam, videtur præferendus, licet Caji proviſio horam expreſſerit, quia præſumptio ex poſſeſſione videtur ſuperare præſumptionem ex hora, Tiraq. Maſcard. Rebuf. Gonz. Leur. *q.*825. *n.*2. contra Menoch. Mand. Quod Gonz. & alii cum Leur. *n.*3. extendunt, etiamſi poſſeſſio non ſit capta eadem die factæ proviſionis: Idem dicunt alii cum Gonz. & Leur. *n.*4. licet Titius, qui citius poſſeſſionem acceperat, hanc dimiſerat, & Cajus, qui ſerius acceperat, eam ſemper retinuerit, quia per poſſeſſionem priorem Titii præcludebatur jus Cajo, quod jus nunquam convaluit. Vide dicta *n.* 546. Quid autem dicendum ſit in dubio, an fuerit menſis Papalis, an ordinarius, dictum eſt *n.*488. 578

Q. 77. An beneficia concedi debeant dignioribus? Reſp. Conſtabit ex ſeqq. 579

§. 1. Innoc. XI. damnavit hanc 47. prop. *Cum dixit Concilium Trident. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo, vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur, quando fit concurſus.* Ex qua damnatione patet, per digniores, quos Trident. præcepit præferri, intelligi ſimpliciter digniores, comparative ad alios dignos, & non tantum, quando fit concurſus, ſed etiam extra.

§. 2. Qui promovet indignum ad quodcumque beneficium Eccleſiaſticum, peccat mortaliter, tum quia Conc. Later. & Trid. ſevere præcipiunt, ut beneficia conferantur dignis, alioqui promovens indignum incurrat pœnas Conſtit. *Grave nimis*, tum etiam quia talis promotio cedit in grave damnum Eccleſiæ, cui etiam debetur reſtitutio, uti habet communis cum Garc. *p.7. cap.16.n.37.* Filliuc. *tr.*41. *n.* 183. Caſtrop. *tr. 13. d. 2. p.* 11. §. 4. *n.*1. Ac tenetur damna illa compenſare, ante omnes indignus, qui procuravit ſibi beneficium; poſt hunc qui providit; denique cooperatores. Speciatim autem de pœna præſentantis indignum diximus *nu.* 317. De pœna eligentis, *n.* 404. Vide Leur. *p. 2. q.* 764. Quomodo vero peccet, qui indignum promovet in Doctorem, vel Licentiatum, videri poteſt Sanch. *in conſ. lib. 2. c. 1. d.* 57. 580

§. 3. Putat cum aliis Lugo *de juſt. d. 35. n.* 5. ſi nullus occurrat dignus, licitum eſſe promoveri indignum ad excludendum indigniſſimum, quia graviora mala afferret Eccleſiæ: ſed alii apud Dianam *p. 11. tr. 4. R.* 38. contradicunt, quia non eſt licitum facere intrinſece malum, quamvis ſit minus, ut evitetur majus, promovere autem indignum videtur eſſe intrinſece malum; unde potius permittenda eſſet vacatio. An proviſio indigni ſit ipſo jure irrita, videri poteſt Lugo *n.* 9. 581

§. 4. Certum eſt, quod is, qui ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum promovet minus dignum prætermiſſo digniori, peccet mortaliter, nam de tali loquuntur Trid. *Seſſ. 24. c. 1. De Refor.* & prop. damnata *n.* 579. relata: Docetque ſententia communis ad hoc graviter obligari etiam Papam, & Reges, quidquid contradicat Regin. cujus ſententiam Dian. *par. 2. tr. 15. reſ.* 40. reputat probabilem, ſed ſine fundamento. Idem videtur eſſe de promotione eorum, qui habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem, uti Abbates, & ita expreſſe habet Auct. *De Monachis*, *cap.* 9. §. *Ordinatione*, dicens eligendum eum, qui apparuerit optimus. Idem eſt quoad Priores, Guardianos, Rectores, uti docent Vaſquez Rebel. Valent. Azor. P. Nav. Mendo *d. l.*13. *a* 582

num.

n. 279. Card. *in* 2. *Criſi d.* 28. *n.* 5. contra Cajetan. Valer. & Thom. Hurt. apud Mendo *n.*708. Et rationes patebunt ex dicendis.

583 §. 5. Qui ad beneficium curatum promovet minus dignum prætermiſſo digniori, etiam peccat mortaliter, (1) S. Th. Gutt. Barb. Rebell. Leſſ. Garc. Caſtr. Luca, Leur. *p.* 1. *q.* 211. contra Gloſſ. Hug. Sot. Aleſ. & alios apud Dianam ſupra, quorum ſententiam Filliuc. *n.*181. & Burgh. *cent.* 1. *caſ.*18. putant eſſe probabilem, quamvis talem eſſe non agnoſcat Diana *ibid.* & *p.*11. *tr.*4. *reſ.*34. Ratio eſt 1. quia Trid. *c.*18. id præcipit, & cum ſit materia gravis, maximique momenti, utique ſub mortali, jubet enim pro parochis inſtitui examen, *ex his que*, inquit, *Epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre . . . . is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur: cum vero inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentat, ad quem inſtitutio ſpectat*. Similiter propoſitio damnata videtur intelligenda de beneficiis curatis; nam loquitur de beneficiis, quæ conferuntur, *quando ſit concurſus*, raro autem fit concurſus pro Epiſcopatibus, & ſemper fieri deberet pro parochiis. 2. Eſt gravis obligatio promovendi digniores ad Epiſcopatum, quia ita poſtulat bonum animarum, & Eccleſiæ utilitas; ergo etiam ad beneficium curatum, quia ita etiam poſtulat bonum animarum, & utilitas Eccleſiæ, cui dignior magis profuturus eſt. 3. Si aliter fiat, eſt acceptio perſonarum in re gravi, ut recte S. Thom. 2. 2. *q.*63. *a.*2. *ad* 3. quando enim perſona digna præfertur digniori, pro motivo præferendi acceptatur aliquid velut cauſa, quod cauſa non eſt, & circumſtantia nihil conferens ad cauſam ſubſtituitur pro circumſtantia conferente ad cauſam; Et pro hoc hæc verba S. Hieronymi adducit S. Thom. *q.* 185. *a.* 3. *in O. Quidam non quærunt eos in Eccleſiæ columnas erigere, quos plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos plus ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt: hoc autem pertinet ad acceptionem perſonarum, quæ in talibus eſt grave peccatum:* Plures rationes dabuntur *n.* 588.

* (1) *Idipſum docet Emin. Lambert. T.*1. *Edict. p.*76. *ex Deciſione Rotæ Romanæ in* una Camerin. Beneficiatus 2. *Julii* 1708.

584 §. 6. Etiam tenentur digniorem præferre, qui per liberam præſentationem, vel collationem provident de beneficiis curatis, quamvis forte ſint laici, Sanch. *d.*5. Leſſ. *l.*2. *c.*34. *n.*64. Lugo *n.* 40. Mendo *n.*261. Carden. *n.*39. contra Ricc. Navar. Lambert. Henriq. Garc. Barb. Caſtr. *p.*7. *n.*6. Burgh. ſupra, & alios apud Mendo *n.*270. Probatur, quia de his valent rationes datæ, & dandæ.

585 §. 7. Si plures ab beneficium curatum præſententur inæqualiter digni, dicunt multi, Inſtituentem poſſe eligere, quem volet, dummodo dignum, ſed Barb. & alii cum Caſtr. *p.* 9. *n.* 3. probabilius dicunt præferendum digniorem, ob rationes datas, & dandas: Imo Diana *p.* 9. *tr.* 8. *R.*16. dicit tum reipſa eſſe velut concurſum, quia præſentans videtur appellare ad judicium Inſtituentis: ut magis idoneum præferat.

586 §. 8. Si quis reſignet, vel permutet beneficium curatum, communis ſententia cum Azor. & Barb. *De Offic. Parochi c.* 2. *n.* 101. dicit ſatis eſſe, ſi transferat in aliquem dignum, quia dimittit hoc, quod ſuum eſt, & propter quod, ſi retineret, non teneretur plus facere, quam mediocriter idoneus: ergo ſubſtituendo talem ſatisfacit: accedit, quod reſignans, vel permutans non ſit diſtributor beneficii, ideoque non videatur teneri quærere, aut deſignare digniorem. Addunt Cajet. Sal. Regin. Leſſ. Lugo *n.*61. Caſtr. *p.*11. §.2. *n.*11. Dian. *par.*2. *tr.* 15. *R.* 41. talem minus dignum poſſe a Superiore inſtitui: econtra Nav. Sot. Vaſq. Paſſer. Pariſ. & alii cum Card. *n.* 45. dicunt etiam talem reſignantem, vel permutantem teneri eligere digniorem, ſi occurrat, & fatetur Leſſ. ſi multo dignior ſe offerat, vel ſit in promptu, charitatem boni communis obligare, ut præferatur: Et in hanc partem etiam multum inclinat Lug. tenetque eamdem Leur. *p.*3. *q.*838. (quamvis oppoſitum inſinuaſſet q.352. & par.1. q.211. n.3.) ſi ille, qui per reſignationem, aut permutationem beneficium accipit, ſit notabiliter minus dignus, præferendum eſſe digniorem, rationes enim ſunt eædem, ut conſideranti patebit.

587 §. 9. Proviſio curati digni præ digniori eſt valida, ſaltem ſi fiat extra concurſum, Barb. *a n.*97. Caſtr. §.3. *n.*1. Leur. *p.*2. *n.* 474. Et ſi facta ſit, nequidem eſt irritanda, quia per hoc aperiretur janua ad multas lites, ſcandala, inimicitias, detractiones, Luca *De Benef. d.*67. *n.*10. Quid autem dicendum ſit, ſi præceſſerit concurſus, dicetur *n.*628.

588 §. 10. Probabilius videtur etiam eum peccare mortaliter, qui pro beneficio ſimplici præfert dignum digniori, ita S. Th. Cajet. Vaſq. Caſt. §.2. *n.*8. aliique multi apud Card. *n.*9. Conſentiunt Nav. Azor. Sa, Fill. *n.*179. ſi fiat paſſim, non autem ſi ſemel, aut bis. Conſentiunt Rebell. Mald. Leſſ. Reg. ſi fiat in Beneficiis majoris momenti, ut in primario Canonicatu: Contradicunt tamen Sanch. & alii cum Barb. *n.*103. dicentes in beneficio quocumque ſimplici non peccari mortaliter, quia cum nec Trid. nec Canones prærequirant concurſum, vel ſpeciale examen, innuunt ſatis eſſe, ſi provideatur dignus; fatentur tamen plerique per hoc peccari venialiter. Aliqui cum Garc. & Dian. *p.*2. *tr.* 15. *reſ.*38. excuſant ab omni peccato, quorum ſententiam Luca *n.* 3. & *d.* 69. *n.*9. dicit conſuetudine eſſe receptam. Card. fatetur probabilem, ſi beneficia nequidem mediate habeant annexam curam: ſed ratio noſtra eſt: 1. Quia ſic videtur declarare Innoc. III. C. un. *Ut Eccl. Benef. ſine diminut.* ubi loquens de beneficio ſimplici, dicit, *Diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum officium, & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare*. 2. Quia etiam hic eſſet acceptio perſonarum in re gravi. 3. Quia finis primarius inſtituendi beneficia fuit major Dei cultus, & majus bonum Eccleſiæ, finis autem ſecundarius fuit remuneratio benemeritorum, uti cum aliis recte Card. *n.*7. ſed ſi excludantur digniores, uterque hic finis impeditur, qui omnino magni momenti eſt: ergo. 4. Sic excludens digniorem facit contra fidelitatem debitam ex officio, Eccleſia enim commiſit huic, vel illi poteſtatem providendi de beneficio, ea tantum conditione, ut utatur tanquam fidelis diſpenſator ſecundum fines ab Eccleſia in erectione beneficiorum intentos, & hic finis eſt aliquid in ſe grave, ſeu magni momenti: violare autem fidem ex officio debitam in re gravi eſt mortale, uti recte Filliuc. *numer.* 178. ergo. Ex his

Sequitur, ſi inter plures æqualiter præſentatos ſit alius alio dignior, præferendum digniorem, Vivian. Roch. Azor. Lop. Barb. Caſtrop. Corr. Pirr. Leur. *q.*193. *n.*3. Similiter ſi confirmatori proponantur plures electi, tenetur confirmare digniorem, quia in eo caſu ſuſtinet partes electoris, & confirmatoris, Led. Arm. Donat. ſi tamen unicus ſit electus, etiamſi dignior ſit prætermiſſus, confirmari debet, ſi ſit dignus, quia ad vitandas lites, aliaque incommoda ita præcipitur Cap. *Poſtquam*, 3. De elect. Cajet. Bann. Covar. Rodr. Donat. Paſſ. V. Leur. *q.* 474.

§. 11. Etiam in electionibus apud Religioſos præferri debet dignior, Rebel. Sot. Vaſq. & alii communiter cum Lugo *n.* 55. contra Valer. & Caſtr. *p.*11. §.2. *n.*14. Refert tamen Lugo multos caſus, in quibus prætermitti poſſit dignior: uti ſi utilius occupetur in alio officio; ſi alioqui eſſet perpetuo futurus ad regimen, aut in digniore officio, quod ſæpe non expedit; ſi reſervetur ad aliam functionem cum majori emolumento boni communis. Vide dicenda *n.*592. 589

§. 12. Qui dignus erat, & beneficium obtinuit excluſo digniori, non tenetur illud dimittere, ſaltem ante ſententiam, Leſſ. Thom. Hurt. Caſtr. §.5. *n.6.* contra Rebell. Imo qui ſe agnoſcit minus dignum, quam alium, poteſt ſe offerre ad beneficium, relinquendo totum judicium examinatoribus, vel Collatoribus, Caj. Cov. Azor. Leſſ. Dian. *p.* 3. *t.* 5. *reſ.* 110. quod admittit Caſt. *n.*1. ſi dubitet, nam ſi clare cognoſceret ſe eſſe minus dignum, neque putaret ſe compenſaturum defectum per ſpecialem diligentiam, dicit, eum non poſſe petere abſolute, quia peteret hoc a Collatore, quod hic licite præſtare non poſſet: ergo petendo peccaret: Si tamen bona fide tentet aleam, & præferatur aliis, poteſt acceptare, ſequendo judicium aliorum, Sot. Tur. Quid agendum ſit, ſi lis oriatur inter dignum, & digniorem, videri poteſt Caſtr. §.3. *a n.* 3. 590

§. 13. Dignus, qui procuravit ſe præferri alteri, quem ſciebat eſſe digniorem; item promovens dignum præ digniori, non videtur peccare contra juſtitiam, adeoque non tenetur cuiquam aliquid reſtituere: non Eccleſiæ, uti certum eſſe dicit Caſtr. §. 4. *n.*2. docentque etiam Mol. & Leſſ. quia Eccleſiæ aſſignatur idoneus Miniſter, cujus labor eſt par ſtipendio. Nec digniori, uti tenent Adr. Nav. Cov. Gutt. Valent. Tol. Azor. Leſſ. Rebell. contra Palud. Arag. Cajet. Salon. Bann. Silv. Lop. P. Nav. Rodriq. Med. Leſſ. Vaſq. Ratio eſt, quia dignior non habet jus ad beneficium, ſicuti melior operarius non habet jus, ut vocetur ad laborem pro ſtipendio: aliud tamen eſt, ſi per concurſum judicatus ſit dignior, uti dicetur *n.* 628. 591

§. 14. Dignior poteſt aliquando præteriri, ut ſi beneficium ex fundatione conferri debeat perſonæ certæ urbis, vel familiæ, &c. Caſtr. §.2. *n.*5. Si tamen in tali urbe, vel familia ſint duo inæqualiter digni, præferri debet dignior, Baſſ. Leur. *q.*154. *n.* 1. Item præteriri poteſt dignior, ſi reſervetur ad aliud beneficium, in quo erit Eccleſiæ utilior, quamvis forte hoc beneficium ſit futurum tenuius. Caſtr. *n.*13. Lugo a *n.*24. Ratio eſt, quia obligatio præferendi digniorem eſt primario ob majus bonum Eccleſiæ: ergo ubi hoc non eſſet, ceſſat illa obligatio: Similiter fieri poteſt, ut digniſſimus poſtponi poſſit digniori; nam ſi inter tres eligendos unus ſit dignus, alter dignior, tertius digniſſimus, & prævideam, ſi votum meum dem digniſſimo, fore ut dignus plura vota habeat quam dignior, poſſum præterito digniſſimo dare votum digniori, quia ſic magis attingo mentem Eccleſiæ, & finem beneficiorum. Vaſquez. Turr. Leſſ. Caſtr. *n.*12. Lugo *n.*31. 592

§. 15. Per digniorem, qui dicitur ſub mortali præferendus, intelligitur notabiliter dignior: ſi autem in uno ſit parvus exceſſus, an mortale ſit digniorem tum prætermittere, dicetur *l.*5. *n.* 204. Docent tamen Sot. Ban. Salon. Valent. Rodr. apud Dianam *p.* 5. *tr.*5. *reſol.*13. eſſe tantum veniale, ſi beneficium ſit parvi momenti, & poſtponatur, qui tantum parum excedit. Quod ſi videatur eſſe æqualitas inter plures, aut dubium ſit, & diſcerni nequeat, quis ſit dignior, liberum eſt præferre, quem voles. 593

§. 16. Notant Sigiſm. Paſſ. Leur. *q.*293. *n.*2. tutius eſſe eligi dignum, de cujus dignitate conſtat, quam eum, qui videtur dignior, de cujus majori dignitate habetur ſolum probabilitas: ſi tamen certum ſit eum eſſe æqualem digno, præferendus eſt, quia per hoc ſuperat, quod probabiliter ſit dignior. 594

§. 17. Recte notat Mendo *n.*277. etiam valide conſultum eſſe, ut ad officia ſæcularia aſſumantur digniores, quia id etiam poſtulat bonum commune, ac utilitas omnium, & quando aliter fit, ordinarie eſt acceptio perſonarum, vel ſordida cupiditas pecuniæ, aut lucri proprii. 595

Quæſt. 78. *Quis hic dicatur dignior, dignus, indignus?* R. 596

§. 1. Dignior dicitur, qui conſideratis omnibus dotibus corporis, & animi creditur futurus Eccleſiæ utilior, dignus, qui habet qualitates requiſitas ad miniſterium: indignus, cui deeſt aliqua ex qualitatibus ad miniſterium requiſitis, ſeu qui non poteſt ſatisfacere tali muneri. 597

§. 2. Ille non ſemper eſt dignior, qui eſt ſanctior, vel doctior, uti expreſſe S. Thom. 2.2. *q.*185. *art.* 3. *in O & ad* 3. Item *q.* 63. *art.*2. *in O*. Et quamvis quis quoad aliqua ſit minus dignus, tamen poteſt cenſeri eſſe dignior, v.g. ſi ſit ex patria, & gratior populo; ſi non ſit implicatus tot negotiis externis; ſi ſit eli-

gibilis, alter autem deberet poſtulari; ſi habeat majorem experientiam, &c. Dian. *p.*3. *tr.*5. *reſ.* 110. Hinc etiam recte notat Lug. *de juſt. d.* 35. *n.* 2. pro majori dignitate ſimpliciter ſtatuenda ſpectandas eſſe circumſtantias: nam ſæpe præferenda eſt doctrina pietati, uti ſi quis inter hæreticos ſit futurus parochus: e contra ſæpe præferenda probitas, & exemplaris vita doctrinæ, (1) maxime inter Catholicos, & idem eſt de aliis talentis, v. g. concionandi, canendi, converſandi reſpective ad templa, & loca, in quibus erit. Addit Barb. *de Offic. Paroch. c.* 2. *n.* 109. judicari debere, quod adultior ſit dignior quam juvenis, Doctor quam non Doctor, non habens beneficium quam habens, ſacerdos quam non ſacerdos, nobilis quam ignobilis, diſpenſatione non indigens quam egens, dives quam pauper, ſi Eccleſia ſit indigens, &c. Vide etiam Leur. *par.*2. *q.*193. *n.* 2. & *q.*293. *n.*2. Item dicta *n.*576.

* (1) *Ut conſtat ex Reſolutionibus Sac. Congreg.* in Abellinenſ. Concurſus 28. *Febr.* 1711. & *in* Monopolitana Concurſus 13. *Maii* 1713. *quas habes citatas in expoſitione* Nicienſis Concurſus, *T.* 8. *Theſauri Reſolut. p.* 117.

598 *Q.*79. *Quid præterea notandum ſit circa Parochos, parochias, & curata Beneficia?* R. ſeqq.

§.1. Parochus videtur dici a græco, παροῖκος, *accola*, ſeu *incola*, eo quod parochi collocentur inter eos, quorum quoad animas curam gerunt, Barb. *de jure Eccleſ. l.*1. *c.*1. *n.*13. Et parochia ſignificat locum certis finibus limitatum, complectentem familias ſaltem decem, ut vult Barb. *c.*20. *n.*16. aut ſi jam erecta fuerit parochia, decem perſonas, uti habet Corr. *l.*3. *c.*5. *n.* 10. in quo loco habitet populus deputatus tali Eccleſiæ, quæ in hoc dicitur parochialis, quod in ea unus aliquis auctoritate Epiſcopi conſtitutus exercere debeat curam animarum tali Eccleſiæ aſſignatarum. Notat autem recte Corr. *n.*3. contra Lott. *l.*1. *q.*20. *a n.*55. ſicuti non omne beneficium curatum eſt parochiale, ita nec omnem Eccleſiam curatam eſſe parochiale, ſi enim duo per vices, vel ſimul ex officio exerceant curam animarum in aliqua Eccleſia, uterque erit curatus, ſeu neuter parochus, nec Eccleſia erit parochialis, attamen erit curata: ſigna autem Eccleſiæ parochialis ſunt, ſi habeat certos limites, vel familias ſibi deputatas, quæ diebus feſtivis ibi audiant Miſſam, recipiant Sacramenta, ibi ſepeliantur; ſi in ea aſſervetur Euchariſtia, fiant oblationes, dentur decimæ, &c. Barb. *n.*22. Notat etiam Laym. *ad c. Statutum*, *De elect. in* 6. & *ad c.*3. *de Poſtul. n.*1. nomine parochialis non venire in odioſis Eccleſiam, quæ ſimul eſt Collegiata, uti nec dignitates habentes parochiam annexam, aut curam habitualem tantum: videri tamen debet Luca *de Benefic. d.*14. *n.*7. *d.*16. *d.*24. *a n.* 6. *d.*77. *n.*3. & *d.*951.

599 §.2. Providendus de parochia ſcire debet linguam, ſeu idioma loci, in quo eſt parochia, alioquin proviſio eſt nulla, uti dicetur n.790.

600 §.3. Parochus non poteſt amovibiliter præfici parochiæ, uti declaravit S. Congr. apud Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.*5. §. 6. *n.*60. & Corr. *c.*9. *n.* 39. quia ſicuti Matrimonium carnale non contrahitur ad tempus, ita nec ſpirituale, quamvis hoc ſemper maneat indiſſolubile, ſi tamen parochia ſit unita Monaſterio, vel alteri loco, vel beneficio, poteſt per Vicarium temporalem provideri, Luca ad Trid. *d.*9. *n.*1.

601 §. 4. Beneficia, præſertim curata, non debent diu vacare, *C. Ne pro defectu*, *de elect. cap. Ut circa*, *de elect. in* 6. *cap. Si Apoſtolica*, *de præb. in* 6. His non obſtantibus, ſi Sedes Epiſcopalis, vacet, Garc. Corr. Lott. & alii apud Leur. *p.*1. *q.*171. docent, collationes beneficiorum ſpectare ad Papam, & non ad Capitulum, niſi eſſent beneficia ſimultaneæ collationis Epiſcopi cum Capitulo, Leur. *p.*2. *q.*708. & *ſeqq.* parochialis autem tunc vacans in menſe Ordinarii, reſervatur Epiſcopo ſucceſſori, ſi ad Epiſcopum ſpectabat providere, Gonz. Garc. Leur. *q.* 711. poteſt tamen Capitulum indicere, & habere concurſum, ſed electio dignioris reſervatur Epiſcopo ſucceſſori, Mol. Caſtr. apud Leur. ibid. & ſecundum Laym. Azor. Rebuff. Leur. ibidem, poteſt Capitulum conſtituere œconomum, aut commendare ad ſex menſes: de cetero, beneficia Sede vacante vacantia in menſibus Ordinarii, etiam per Concordata Germaniæ reſervantur Epiſcopo ſucceſſori, Leur. *q.*709. & Capitulum nequidem de devolutis poteſt providere, Azor. Barboſ. Garz. Caſtr. Leur. *q.* 712. contra Zerol. Lamb. Mol. & alios,

602 §.5. Si Sedes Apoſtolica vacet, Epiſcopus, aut quivis alius habens jus ordinarium confert parochias, alioquin Papæ reſervatas, non tamen alia beneficia curata, uti nec habitu tantum parochialia, *cap. Si Apoſtolica*, *de præb. in* 6. Gonz. Corr. Leur. *p.* 1. *q.*172. ſed per Concordata poſſunt Epiſcopi aliique collatores in Germania tum providere de omnibus beneficiis, etiamſi in menſe Papali incipiant vacare, Chok. Pirh. Leur. *q.*174. Quid autem dicendum ſit, ſi beneficium jam ante mortem Papæ vacaverit, dictum eſt *n.*598. ſi tamen ſit parochiale, & Papa ante ſuum obitum de eo non providerit, is, ad quem ordinarie pertinet, poteſt libere de eo providere, *C. Si Apoſtolica*, *ſupra*.

603 §.6. Parochialia beneficia provideri debent per concurſum, uti dicetur n.610. Et quamvis id non fiat, tamen omnes admittendi ad beneficia curata debent ante poſſeſſionem examinari ab iis, quos Epiſcopus conſtituerit, Pariſ. Garc. Barb. Caſtr. *tract.* 13. *d.*3. *p.* 2. §. 4. *n.* 10. Etiam examinari debent, qui volunt præfici Parochiis unitis Monaſterio exempto, Luca ad Trid. *d.*32. *nu.* 36. Leur. *q.* 209. etiam illi examinari debent, qui a patronis laicis præſentantur, uti habet Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de Ref. Nec refert*, quod conſtet de alicujus idoneitate quoad omnia, v. g. quia eſt doctor Theologiæ, aut etiam Vicarius in ſpiritualibus, *quia* examen ſpectat ad formam proviſionis, Pariſ. Garc. Corr. Lott. Leur. *q.*207. Etiam merito iterum examinatur parochus ad aliam parochiam transferendus, quia qui idoneus fuit, poteſt per oblivionem, ſocordiam vel aliam cauſam, factus eſſe idoneus, aut defeciſſe in moribus, Laym. *ad c. Ex litteris*, *de Conſt. n.*1. Garc. *p.*6. *c.*2. *n.*253. & 266. Luca *de Parochis d.*6. *n.*6. aut major doctrina forte neceſſaria eſt ad alteram difficiliorem parochiam. Quod ſi beneficium ſit tantum ſecundario curatum, adhuc videtur præmittendum examen, uti obſervatum eſt in diœceſi Monaſterienſi, ne curam ſuſcipiat, qui forte ineptus eſt, & poſt obtentum plenum jus in re cum majoribus incommodis removeri debeat.

§. 7. Si quis in primo examine pro beneficio curato non reperiatur idoneus, videtur poſſe illi concedi tempus pro præparatione ad aliud examen, & ſi tum reperiatur idoneus, provideri: & ita vidi practicari, quidquid in contrarium dicant Garc. & Leur. *q.* 200. verificatur enim, quod per examen reperiatur idoneus, nec verba videntur odioſe reſtringenda ad examen unicum. 604

§.8. Parochus etiam in concurſu, & ſine reſtrictione approbatus poteſt ex cauſa revocari ad examen, v. g. ſi adſit prudens ſuſpicio oblivionis, ſi ſe nimium effundat ad occupationes exteriores, ſi negligat ſtudium, ſi in praxi ſæpe male procedat: & ubi non bene ſubſiſtet, ſuſpendi poteſt a cura, quia ſpectat ad officium Epiſcopi providere, ut ſemper idonei curam adminiſtret, Ricc. Gonz. Barb. Lugo, Luca, & alii cum Leur. *p.* 1. *q.*210. (2) 605

* (2) *Atque idipſum decrevit Sacra Congreg. in* Placentina 26. *Auguſt. ann.* 1628. & *in* Nullius 13. *Jan.* 1635. & *in* Pampilonenſi 1. & 22. *Sept.*1668. & *in* Cajet. 19. *Nov.*1684. & *in* Legionenſi 15. *Dec.* 1725. *T.*3. *Reſol. p.*250. & *ſeqq.*

§. 9. Quomodo, & ſub qua pœna teneantur reſidere Parochi dictum eſt *l.* 3. *p.* 1. *n.* 736. & ſpeciatim de pœnis, vide Leur. *q.* 398. & *ſeqq.* Quod ſi Parochus emaneat diu ultra licentiam, & negligat monitionem ad ſex alios menſes, privari poteſt, Lott. *lib.* 3. *qu.* 27. *a num.* 79. Si autem ignoretur, ubi ſit; aut ſit in loco, quo conveniri non poteſt, citari debet tribus vicibus, & poſt expectatos a lapſu ultimi peremptorii alios ſex menſes, debet privari, ſive declarari privatus parochia ob non reſidentiam, Lott. Leur. *q.*390. & *ſeqq.* Si ante privationem compareat, audiri debent cauſæ excuſantes abſentiam, ſi compareat poſt privationem, & cauſæ inveniantur juſtæ, ſubvenitur remedio reſtitutionis in integrum, Lott. Leur. *q.*394. 606

§.10. Parochus fruens decimis tenetur concurrere ad reparationem domus parochialis, & Eccleſiæ, niſi conſuetudo onus illud impoſuerit parochianis, Azor. *p.* 2. *c.* 9. *q.* 10. Barb. *de offic. Paroch. c.* 13. *a n.* 2. V. Leur. *q.* 433. 607

§.11. De juriſdictione, & poteſtate Parochi in ordine ad adminiſtrandum Sacramentum pœnitentiæ, aut ad delegandam ad hoc poteſtatem, dicetur, l. 6. Notat autem cum aliis Leur. *q.* 447. in locis Regularium exemptis, Parochum non retinere juriſdictionem; quamvis eam retineat Epiſcopus, & Capitulum Cathedrale; in propria autem Eccleſia præcedit Parochus omnes, etiam in majore dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos. Vide Leur. *q.* 448. Quid poſſit quoad impediendas vanas functiones Regularium, & quoad ædificationem novorum Monaſteriorum, videri poteſt Leur. *q.* 442. & *ſeqq.* Item quid poſſit, aut debeat facere circa bona ſuæ Eccleſiæ, habet Leur. *q.* 445. & *ſeqq.* Non poteſt autem ferre cenſuras, quia hoc ſpectat ad juriſdictionem fori externi. Denique de jure Parochi, maxime circa funera, portionem canonicam, oblationes, decimas, primitias, videri poteſt Leur. *q.* 449. & *ſeqq.* & aliqua addemus a num. 1361. 608

§. 12. Quæ ſit Parochi obligatio quoad conciones, dictum eſt l. 3. p. 1. a n. 763. Item a n. 767. quandonam potiſſimum peccet in officio; Item a n. 749. an teneatur ad Curam per ſeipſum. Item a n. 754. quæ ſit ejus obligatio tempore morborum, & belli. Item a n. 762. an quandoque teneatur Miſſam offerre pro parochianis. Quomodo autem, & ſub qua pœna teneatur habere intentionem recipiendi Sacerdotium, illudque intra annum recipere, dicetur a n.748. & 859. item de obligatione faciendi profeſſionem fidei, dicetur a n.740. De modo ornandi, augendique Parochiam aliquam, videri poteſt, apud Pignat. *tom.* 1. *conſult.* 52. Denique legenda eſt a Parocho admonitio, quam ad Paſtores ſui gregis habet Deus, Iſaiæ 34. *Dies paſtoribus*, &c. 609

Q. 80. *Quænam Beneficia conferri debeant per concurſum?* R. Generalis regula eſt ex *Trid. Seſſ.* 24. *c.* 18. *de Ref.* & ex Bulla *S. Pii V. In conferendis Beneficiis*, 47. quod omnia Beneficia parochialia conferri debent per concurſum ad quemcumque collatio ſpectet, etiamſi ad Abbates, ad exemptos, ad Papam ipſum. Exceptiones tamen ſunt multæ, quas recenſent Barb. *De offic. Paroch. c.*2. *a n.*14. & *iterum n.*126. Caſtr. *tr.*13. *d.*3. *p.*2. §. 5. Nicol. *t.*1. *d.* 6. §. 6. Leur. *p.*1. *q.*206. nam omitti poteſt concurſus. 610

1. Si quis in manus Papæ reſignet parochiam in favorem alicujus, aut etiam libere, uti volunt Gonz. *ad Regul.* 8. *Cancell. gloſ.* 6. *n.* 116. & Piaſ. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 9. contra Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 60. *n.*21. & Corr. *l.*3. *c.*3. *n.*5.

2. Si Papa alicui Romæ præſenti conferat parochiam reſervatam in partibus.

3. Si duo apud Epiſcopum permutent Beneficia, vel ambo curata, vel curatum cum ſimplici Gar. Zech. Pariſ. *l.* 8. *q.* 9. *n.* 95. contra Leſſ. *l.* 2. *c.*34. *n.*85.

4. Si alicubi ſit conſuetudo immemorialis, ut Parochi optent Eccleſias vacantes.

5. Si in proviſione alicujus parochiæ non ſit obſervata forma a *Trid. & S. Pio V.* præſcripta, tunc enim confert ſine concurſu, vel Papa, vel alius inferior ad præſentationem Patroni. Corr. Gon. *n.* 126.

6. Si per concurſum electus intra quadrimeſtre non exhibuerit collatori teſtimonium ſuæ præelectionis, tunc enim conferri poteſt tertio ſine concurſu, Corr. Conz. *n.*131.

7. Si Parochia ſit acceſſorie unita Vicariæ perpetuæ, Dignitati, vel Canonicatui. Aliud eſt, ſi æque, vel magis principaliter ſe habeat in unione, Garc. Gonz. Corr. Leur. *q.* 120.

8. In proviſione Dignitatum habentium curam animarum in Collegiatis Eccleſiis, Corr. Garc.

9. Si in collegiata per canonicos hebdomadarios exerceatur cura, Garc. Corr. Luca de Parochis d.37. n. 37.

10. Si Parochia ſit juris patronatus laicalis. Excipe tamen, niſi unita fuerit Beneficio liberæ collationis, aut ex privilegio tantum, vel conſuetudine eſſet jus præſentandi, aut plures æqualiter eſſent præſentati, aut penderet lis ſuper jure patronatus, aut proviſio devolveretur ad Epiſcopum; in his enim caſibus inſtitui deberet concurſus.

11. Etiam omittitur concurſus, ſi patronatus ſit miſtus, quamvis alii cum Dian. p. 9. tr. 8. reſ. 18. dicant tunc habendum, quia ubi agitur de favore, & bono Eccleſiæ, putant Clericos habendos eſſe potiores; Corr. dicit, ſi miſtura ſit æqualis, tunc certo non requiri concurſum, ob declarationem Sac. Cong. ſi autem pars Clericorum ſit major, requiri.

12. Si Parochia ſit litigioſa, & unus litigantium moriatur, tunc enim Papa ſolet ſubrogare alterum.

13. Si Beneficium parochiale ſit regulare, & conferatur Regulari: ſi autem conferatur ſæculari, requiritur concurſus, Garc. Corr. Barb. alleg. 6. n.33.

14. Si ob tenues redditus non offerant ſe oppoſitores: aliud eſt, ſi ſe offerant, Garc. p.9. c.2. n.220. Barb. n.38. Item omittitur, ſi ideo præviderentur rixæ, vel diſſidia. Corr.

15. Si quis per regreſſum obtineat parochiam, v.g. quia ipſi, poſtquam reſignavit, non ſolvitur penſio conſtituta, Garc. nu. 168. dicit tamen Leur. p.1. q.207. non poſſe ſine concurſu parochiam vacantem dari illi, qui eam antea per concurſum obtinuerat, & reſignarat.

16. Si ſit habitu tantum parochialis, Zerol. Corr.

17. Si electus per concurſum nolit conſentire in penſionem impoſitam in favorem alterius: tunc enim poteſt Papa prævio examine ſine concurſu conferre, cui voluerit, Gonz. Corr. (1)

18. Cardinales Epiſcopi exiſtentes in curia poſſunt conferre parochiales ſuæ diœceſis ſine concurſu.

* (1) Etiam omittitur concurſus, ſi Parochiales Eccleſiæ Capi-
* tulo, Collegio, vel Monaſterio alicui fuerint ſubjectivæ, tam
* ſcilicet quoad temporalia, quam quoad ſpiritualia incorporatæ;
* tunc enim ad earum regimen, & curam, prævio dumtaxat exa-
* mine, & approbatione Epiſcopi deputantur Vicarii perpetui jux-
* ta Conſtit. 47. S. Pii V. §. 4. & Reſolutiones Sacr. Congr. in
* Burgi S. Sepulchri 15. Novembris 1601. in Venſionenſi 22. Au-
* guſti 1637. & in Gandavenſi 7. Februarii 1643. citatas T. 8.
* Theſ. Reſolut. p. 34. Contra vero per concurſum conferentur, ſi
* Capitulo, Collegio, vel Monaſterio quoad temporalia tantum
* unitæ fuerint, veluti de jurepatronatus Eccleſiaſtico, Garz. Bar-
* boſa, Ventrigl. in praxi part. 2. adnot. 5. §. 2. n. 2. & ſeqq.

611 Q.81. Quid notandum ſit circa proviſionem Beneficii per concurſum? R. ſeqq. §. 1. Modum inſtituendi concurſum deſcribit Trid. Seſſ.24. c.18. de Ref. ac in primis ſtatuit, ut cum vacaverit parochia, Epiſcopus conſtituat Vicarium, qui deſerviat cum congrua portione fructuum, niſi forte vicinus Parochus, vel alius id præſtet; poteritque talis deſerviens conſequi etiam emolumenta Curiæ, & oblationes, Barb. de Offic. Paroch. c.14. n. 10. ſed cum Parochi in his partibus habeant annum gratiæ, hæredes conſtituunt deſervientem ab Ordinario approbandum.

612 §.2. Tempus indicendi concurſum ſunt 6. aut 4. menſes: haberi autem debet a tempore edicti publicati ad ſummum intra 20. dies: quod ſi intra hos dies non haberetur, putant Garc. & Lott. l.2. q.31. n.41. proviſionem fore invalidam, & addit ſæpe ita reſolutum eſſe a Rota, quia videtur eſſe contra formam ſub pœna nullitatis præſcriptam: ſed Caſtr. tr.13. d.3. p.2. §.1. n.9. dicit valituram, quia quando aliquis habet facultatem ad aliquid; licet ei præſcribatur modus faciendi, non ideo tollitur facultas, ſi illum negligat, quia forma ſubſtantialis manere poteſt, quæ hic eſt, ut fiat edictum, inſtituatur examen, &c. hinc etiam Leiſ. l.2. c. 34. n.85. dicit non omnia hic præſcripta, eſſe ubique uſu recepta, Trid. ipſum in fine addit, Licebit etiam ſynodo provinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinationis formam addenda remittendave eſſe cenſuerint, providere. Et in vaſta diœceſi Monaſterienſi ordinarie dantur duo, aut tres menſes, tum ut notitia facilius perveniat ad omnes tum etiam, ut oppoſitores colligant teſtimonia, relegant caſus, ac ſe melius diſponant: poſt elapſum vero tempus in edicto præſcriptum adhuc expectari poteſt ad aliquot dies, (2) Corr. l.3. c.4. n.25.

* (2) Aliquo nimirum interjecto impedimento, aut juſta con-
* currente cauſſa, ut notat Emin. Cavalchinus in expoſitione cauſ-
* ſæ Capuanæ Concurſus T.9. Reſol. Sac. Congr. p.141. & colli-
* gitur ex ejuſdem Sac. Congr. Reſolut. edita in Portugall. Paroch.
* 30. Martii 1737. T.8. p.35. & in eadem Capuana T.9. p.143.
* Ceterum ſi nullum objiciatur impedimentum, nec ulla juſta pro-
* rogationis cauſſa ſubſit, concurſus vero non habeatur intra 20.
* dierum terminum in Conſtit. S. Pii V. in conferendis præfini-
* tum, Parochialium Eccleſiarum collationem ad Apoſtolicam Se-
* dem devolvi docent communiter Ventrigl. in praxi For. Eccl. p.2.
* adn. 5. §.2 n.4. Antonell. de regim. Eccl. l. 3. c. 6. nu. 18.
* Card. de Luca de Jurepatr. diſc. 6. n. 4. & ipſi Bullæ Pianæ
* conformius eſt.

613 §. 3. Concurſum talem indicere non poteſt niſi Epiſcopus, vel ejus Vicarius, aut in diœceſibus nulli Epiſcopo ſubjectis, Abbates habentes juriſdictionem, quaſi Epiſcopalem in parochias incorporatas, Leur. p.1. q.205. Unde licet, v. gr. Archidiacono competat collatio, ipſe tamen auctoritate ſua non poteſt proponere edictum pro concurſu, Pariſ. Leur. p.2. q.723. n.3. ex decreto S. Congr. De Capitulo Sede vacante, vide dicta n.601.

614 §.4. Debent eſſe plures, qui concurrant, alioquin non eſt reipſa concurſus. Quod ſi compareat unicus, qui reperiatur dignius debet ei conferri, (3) Garc. Caſtr. n.8. ſi autem nullus, vel tantum indigni compareant, poteſt libere conferri, aut pro alio tempore indicendus eſt novus concurſus, Luca ad Trid. d.32. a n. 35. (4) ſi nec tunc compareat dignus, confertur ſine concurſu: poſſunt autem oppoſitores ſemper vocari ſine edicto publico, Leur. p.1. q.181.

* (3) Et ſic cenſuit Sacr. Congr. in Cremonenſi l. 3. Decret.
* p. 83. nec alter poſt tranſactum tempus in Edicto præfinitum,
* re licet integra, ad examen admittendus eſt, niſi doceat, ſe ob
* legitimum impedimentum nequiviſſe intra præſcriptum terminum
* præſentare, ſecundum Reſol. S. Congr. editas die 17. Febr. 1724.
* ubi diſputatis binis hiſce dubiis: I. An ſit audiendus non de-
* ſcriptus petens admitti ad examen jam peractum, ſed Beneficii
* nondum facta collatione. II. Et quid, ſi non eſt factum exa-
* men, ſed terminus tantum lapſus; reſponſum fuit: ad primum
* non eſſe audiendum. Ad ſecundum itidem non eſſe audiendum.
* Vide T.7. Reſol. S. Congr. pag.46. in Nullius, ſeu Montis Ca-
* ſini Concurſus.

* (4) Communius tamen docent, nempe intra tempus in edicto
* præſcriptum comparente, novum edictum affigendum eſſe. Garc.
* de Beneſ. part. 9. c. 2. n. 218. Maſſobr. in prax. haben. concurſ.
* requiſit. 3. dub. 9. Barb. ad Conc. Seſſ. 24. c. 18. de Reform. n.70.
* Antonell. de regim. Eccl. l.3. c. 5. §. 2. n.14. Sed S. Congr. Conc.
* T.7. p.54. die 7. Maii 1735. interrogata, an concurſus, & reſpe-
* ctive approbatio Thomæ de Amata ſuſtineatur, (comparuerat
* hic uno alterove die poſt conſtitutum in edicto Ordinarii tempus,
* intra quod nemo alius ſeſe exhibuerat deſcribendum; neque no-
* vum edictum ab Ordinario affixum fuerat) vel potius ſit deveni-
* endum ad novum concurſum; reſpondit, affirmative quoad pri-
* mam partem, & negative quoad ſecundam.

615 §.5. Determinatum tempus ſemel publicatum mutari non debet, quia oppoſitoribus, qui ſe ſiſtunt, tacite per edictum promiſſa eſt obſervatio hujus temporis. Quod ſi examen fieret ante completum tempus edicti, proviſio eſſet irrita, Garc. Corr. Caſtr. §. 4. n.2. Pignat. t.6. conſult.3. ſi tamen poſtea nullus alius oppoſitor ſe ſiſteret, Corr. Lott. Lamb. Calder. & Leur. q. 183. putant fore validam. E contra ſi quis finito tempore edicti velit adſcribi inter oppoſitores, de jure admitti non deberet, quidquid contradicant aliqui apud Leur. q. 182. quia ſoli intra deſignatum tempus inſcripti videntur acquiſiviſſe jus: conſuetudo tamen habet, idque in favorem Eccleſiæ ad delectum tanto majorem habendum, ut adhuc admittatur, Garc. Barb. Caſtr. §.2. n.2. Corr. n.23. Quod ſi aliquis poſt concurſum ſe ſiſtat reliquis omnibus dignior, præferri non debet, Caſtr. d.2. p.11. §. 2. n. 5. obligatio enim præferendi digniorem intelligitur ſine violatione formæ præſcriptæ, & contractus initi cum oppoſitoribus vocatis ad concurſum: poteſt tamen, ſi examen cenſeatur necdum eſſe finitum, admitti, Card. in 2. criſi d. 28. n. 42. & 43. Si vero quis jam adſcriptus inter oppoſitores legitime impediretur, & monuiſſet Ordinarium, ſecundum Garc. & Corr. n.23. poſſet, & ſecundum Caſtr. d.3. p.2. §. 4. n.3. deberet ad aliquod tempus ſuſpendi examen; ſi autem concurſu plane finito, & electione jam facta deſiſteret ille, qui fuit agnitus dignior, deberet inſtitui novus concurſus, Garc. Corr. Zerol. Leur. q. 199. etiam poſt lapſum quadrimeſtre, aut ſemeſtre, inquit Caſtr. n.4. contra Garc.

616 §.6. Poteſt etiam ille, qui eſt conſtitutus deſerviens, concurrere pro hac parochia, quam ſi per concurſum obtineat, poterit pergere deſervire abſque periculo intruſionis, quia hoc facit ex vi prioris mandati, ut deſerviret tanquam Vicarius Caſtr. nu. 5. contra Garc.

617 §.7. Parochus in una, poteſt concurrere pro alia parochia, quia licet celebrare nuptias cum ſua, hæ tamen ſunt abſolute ſolubiles, Barb. Garc. Corr. Caſtr. §.2. n.3.

618 §.8. Si parochia vacet per reſignationem in manus Epiſcopi, non poteſt ad concurſum pro illa admitti conſanguineus, affinis, vel familiaris Epiſcopi, collatorum, aut reſignantis, quia obſtat Bulla S. Pii V. ſecundum declarationem S. Congr. apud Garc. p. 9. c. 2. n.211. & apud Corr. n.10. Et de illa dicetur a n.1011.

619 §.9. Epiſcopus poteſt ſtatuere examinatores tot, quot volet, Barb. Corr. Debent autem ſtatui ſaltem ſex, qui ſint Doctores, vel Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel ſi hi deſint, Clerici, ſeu Regulares, etiam ex Ordine Mendicante, ſeu non Regulares, qui ad id videbuntur idonei, quos eligere debet Synodus erit. Quod ſi quatuor tantum, vel quinque eſſent deſignati, per nullum horum valide poſſet haberi examen, ut deciſum eſſe teſtantur Garc. n.64. & Caſtr. §. 3. n. 2. Si aliquis ex illis ſex moriatur, aut alio diſcedat, debet in prima Synodo compleri numerus, & interea examinabunt reliqui, qui ſuperſint, etiamſi eſſet unicus, Garc. n.69. poſſet etiam tum Epiſcopus cum conſilio Capituli uſq; ad Synodum hunc numerum complere per alios ex antiquis examinatoribus: aut ſi hi deficiant, per alios idoneos, Garc. a n. 70. Corr. Lott. n. 71. Caſtr. n. 5. Poteſt etiam Epiſcopus cum conſilio Capituli, elapſo anno deſignationis, & Synodo abſque culpa ejus non celebrata, deſignare alios, quos volet, Barb. Ricc. Garc. n.90. Caſtr. n.6. quamvis Dian. p. 3. tract. 5. reſ. 64. dicat deciſum eſſe, ut ſi ſingulis annis Synodus non fiat, examinatores ſemel deputati peragant exercere munus ſuum, donec habeatur nova Synodus; ſi autem anno elapſo aliquis ex eis mortuus fuerit, putat officium omnium expirare, addit cum Garc. Corr. Lott. Epiſcopum tum non poſſe deſignare alios, ſi poſſit, & non celebret Synodum.

620 §.10. Examinatores pro concurſu debent eſſe ſaltem tres ex Synodalibus: ſi autem ad hos addatur alius non Synodalis, Garc. n.324. Dian. reſ.65. Luca n.2. dicunt omnia fore irrita, quia ut non debet demi, ita non debet addi ad formam præſcriptam: ſed Caſt. §.4. n. 5. dicit hoc non obſtare, quia ſuperabundantia non poteſt nocere, quando non immutat, nec demit de requiſitis.

621 §.11. Si in examinatorem deſignatus ſit ille, qui v.g. hunc Canonicatum Doctoralem poſſidet, non ideo ſucceſſor, vel ſubſtitutus illius eſt deſignatus, quia cum Trid. ſupponat omni anno mori poſſe non vult ita annecti dignitati, vel officio, Garc. Caſtr. §. 3. n.8. contra Ledeſm.

622 §. 12. Examinatores debent tactis Evangeliis jurare, quod ſine humano affectu velint exequi munus, & ſi non præceſſerit juramentum, vel tacta non ſint Evangelia, Garc. a nu. 355. Barb. c.2. a n.76. dicunt examen eſſe irritum, ſed Caſtr. §.4. n.7. dicit manere validum; putat enim juramentum non ſpectare ad formam examinis, ſed tantum ad rectum illius uſum: poteſt autem juramentum fieri in Synodo, vel extra coram Notario, Garc. Corr. Leur. q.189. (1)

* (1) Cogendos autem non eſſe Presbyteros concurrentes ſiſtere ſe
* coram Examinatoribus, quos juſte in ſuſpectos allegaverint, do-
* cent Maſſobr. requiſit. 5. dub. 3. n. 1. Gonz. ad Reg. 8. Can-
* cell. gloſſ. 9. §. 1. n. 186. Pax Jordan. de re Benef. l. 10. tit. 8. n.
* 190. tom. 3. & conſtat ex reſcripto Sac. Congr. in Lucerina Con-
* curſus 26. Nov. 1661. T. 9. Reſol. p. 142.

623 §.13. Recte docent Gonz. Garc. Barb. Ricc. Caſtr. n.8. Leur. q. 192. examinatores debere examinare, & ſaltem exquirere ante, vel poſt examen de pluribus, quam de ſcientia: nam Trid. dicit: Peracto examine renuncientur, quotcumque ab eis idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis. (2)

* (2) Et ſic conſtituit Sac. Congreg. in Urbinat. ann. 1601 &
* 23. Junii 1605. & in Hydruntina 19. Junii 1638. & in Capu-
* taquenſi 10. Junii 1741. T. 10. Reſolut. p. 61. & 62.

624 §.14. Examinatores peccant mortaliter, ſi ante, vel in concurſu in præjudicium tertii maneant, vel informent examinandum de punctis quærendis: de cetero in aliis examinibus, quando ſciuntur eſſe ſatis docti, & forſan ex metu, vel verecundia turbandi ſunt, non eſt mortale præmonere, Peyr. Dian. q.5. tr.14. reſ.89. Si tamen Epiſcopi coram Papa examinentur, non poſſent præmoneri, quia examinatores prius jurant ſe nequidem in genere præmonituros de eis, quæ ſunt interrogaturi. Dian. p.10. tr. 16. reſ. 38.

625 §.15. Videtur eſſe de valore concurſus, ut Epiſcopus, vel ejus Vicarius interſit, Lott. nu. 57. quamvis Luc. n.12. inſinuet poſſe præeſſe alium ab Epiſcopo deſignatum: poteſtque Vicarius præeſſe, etiam non impedito Epiſcopo, Garc. nu. 119. Ad ſolum tamen Epiſcopum ſpectat conferre digniori, Garc. p. 5. c. 8. nu. 109. quamvis in examine de idoneitate non habeat votum pro vel contra, niſi quando vota examinatorum ſunt paria, aut omnino ſingulariter diviſa, Garc. p. 9. c.2. n.56. Caſtr. n.6. Leur. q. 195.

626 §.16. Med. Led. Nav. Azor. Sanc. aliique dicunt examinatores teneri indicare digniorem, quamvis Epiſcopus non petat, aut nolit ſibi dici, tum enim procedit mala fide: Sed Garc. n. 108. Caſtr. n.9. Dian. p.3. t.5. R.111. Lott. n. 98. probabilius negant, quia non ſunt judices exceſſus, ſed idoneitatis: (3) addit tamen Lugo De juſt. d. 35. n. 65. eos poſſe, & optime facturos eſſe, ſi indicet digniorem, poteſtque de hoc eos interrogare Epiſcopus, Barb. n.66. 89. & ſeqq. imo Lugo n. 67. innuit communiter indicare debere, licet non interrogentur, ne videantur cenſere omnes eſſe fere æquales, ideoque Epiſcopum poſſe præferre, quem volet. Poſſunt autem referre ſuum judicium eodem tempore, ſcripto, vel voce, palam, vel ſecreto, Leur. q.191. Quod ſi Epiſcopus aliunde habeat informationem de oppoſitoribus, quoad eligendum digniorem, non tenetur ſe accommodare judicio Examinatorum, quia judicium ultimum circa exceſſum ſpectat ad ipſum, Leur. q.196. ex quibus autem abſolute deſumi debeat judicium de majori idoneitate, videri poteſt Leur. q.197. item dicta n.598. & 622.

* (3) Idem declaravit Sac. Congr. in Abulenſi 1. Decemb. 1593.
* ubi ad 4. dubium reſpondit: Examinatores debere denunciare,
* quot idonei reperti fuerint, non autem, quis eorum dignor ſit;
* Epiſcopum autem ſuo judicio debere eligere digniorem, ut in
* lib. 7. Dec. p.139. tergo. Colligitur etiam ex declaratione ejuſ-
* dem Sac. Congr. in Sublacenſi Concurſus 22. Julii 1741. T.10.
* Reſolut. p. 101.

627 §. 17. Semper eſt mortale in concurſu digniorem poſtponere digno, uti ſequitur ex dictis a n. 582. docentque omnes communiter cum Lugo d.18. n.107. & Caſtr. d.2. p. 11. §. 2. n. 5. qui cum multis addit §.3. n.2. talem proviſionem ipſo jure eſſe irritam, quamvis Gonz. Garz. Lott. Lugo d.35. nu.71. Leur. q. 198. probabilius dicant tantum eſſe irritandam.

628 §.18. Poſt concurſum eſt obligatio ex juſtitia dandi Beneficium illi, qui judicatus eſt dignior, & ſi non fiat, debetur huic reſtitutio, ſeu compenſatio damnorum, Mol. Gutt. Vaſq. Leſſ. Fernand. Rodr. P. Nav. Caſtr. §. 5. n.6. Ratio eſt, 1. quia dignior habet jus ex lege, ut ait Nav. cum Leſſ. n.72. 2. Hic intervenit quaſi contractus inter illos, qui indicunt concurſum, & qui concurrunt, ut dictum eſt l.3. p.2. n.285. Conf. nam ſi concurſus fieret ſub promiſſione eligendi digniorem, evidens eſt, inquit Caſtr. tum fore ex juſtitia obligationem illi conferendi: atqui hoc ipſo, quod indicatur concurſus, ſemper æquivalenter fit promiſſio conferendi digniori, ſicuti æquivalenter fit promiſſio non conferendi alteri extra concurſum, uti fatentur omnes cum Garc. p.7. c.16. n.58. ergo. Accedit, quod S. Pius V. concedat jus appellandi ab iniqua electione minus digni: ergo fit contra jus, & eſt injuria reſpectu dignioris. Nec obſtat, quod Garc. n. 57. dicat, quod non videatur includi promiſſio in indictione concurſus ad Beneficia non parochialia, ideoque non fieri injuriam digniori rejecto, nam n.61. concedit in parochialibus fieri injuriam, neque invenio ullum, qui diſſentiat, & quoad opinionem Garciæ circa non parochialia, quamvis Dian. p.3. tr.5. reſp.110. dicat, opinionem illam eſſe probabilem, & tutam in praxi, citetque pro ea Led. Merc. Sot. tamen poſtea p. 4. tr. 4. reſ. 210. ubi eamdem Garciæ opinionem nude dicit probabilem, ſubdit, ſed tu ne diſcedas ab opinione affirmativa, quæ nimirum dicit fieri in utroque caſu injuriam, & deberi reſtitutionem.

629 §.19. Examine facto, & recognita obſervatione formæ debet ille, qui judicatus eſt dignior, inſtitui: quod ſi forma obſervata non fuiſſet, quamvis Papa ipſe unum ex vi concurſus prætuliſſet alii, proviſio eſſet invalida, quia ad valorem ſemper ſupponit formam eſſe obſervatam, Garc. p. 9. c. 2. n. 366. Caſtr. d.3. p. 2. §. 6. n. 9.

630 §.20. Si plures judicati ſint æque idonei, neque Epiſcopus poſſit alter diſcernere digniorem, poteſt eligere quem volet, cui fiat collatio, etiamſi hæc ab alio facienda eſſet; & tunc eligitur, non poſitive, ſed negative dignior, ideſt, quod nullus alius dignior ſit, Garc. Caſtr. n.2. Quod ſi inſtitutio competat Epiſcopo, electio autem Patrono, adhuc ſpectat eligere, quis ſit inſtituendus: Nav. Azor. Garc. n.266. Caſtr. n. 3. Si vero Patroni Eccleſiaſtici eligant illum, qui manifeſte eſt minus dignus, Epiſcopus non tenetur illum inſtituere, quia tamen id conſtare non poteſt ante ſententiam per Judicem appellationis datam, præſumendum eſt, quod electus ſit dignior, adeoque inſtitui debet, quiſquis electus fuerit, Garc. n. 269. Caſtr. n. 4.

631 §.21. Contra examinatores pro Beneficio curato non datur appellatio in ordine ad obtinendum Beneficium, (4) ſed tantum pro purganda nota infamiæ: appellatio tamen hæc non poteſt fieri ad Ordinarium, quia examinatores idem tribunal conſtituunt cum Ordinario, Caſtr. n.6. contra Garc. in Beneficiis ſimplicibus dari poteſt appellatio ab examinatorum relatione, vel judicio ad Superiorem Ordinarii, etiam in ordine ad obtinendum Beneficium, Gonz. Garc. n.244. Caſtr. n.7. & idem eſſe in aliis parochialibus, quæ per concurſum non conferuntur, putat Garc. n. 245. Caſtr. n. 8. contra Lott. apud Leur. q.202. Si tamen in concurſu fuiſſes a pleriſque ſaltem examinatoribus judicatus idoneus, & alius minus idoneus te rejecto fuiſſet ab Epiſcopo electus, poſſes appellare ad Superiorem Epiſcopi, & provocare electum ad novum examen coram hoc, Barb. n. 138. & 148. quæ appellatio licet non ſit ſuſpenſiva electionis factæ, tamen eſt devolutiva cauſæ ad Superiorem, Garc. n.247. Caſtr. n. 9. Leur. q.201. & 203. Ut autem appellans vincat, debet per ſecundum examen judicari dignior electo, & ſi electus iterum appellet, uti poteſt, antequam excludatur ex poſſeſſione, debet appellans obtinere tres ſententias conformes, vel unam, quæ tranſeat in rem judicatam, tuncque provideri a Judice appellationis, ſi collatio ſpectabat ad Epiſcopum, a quo appellatum eſt; ſi autem ſpectabat ad alium, ad hunc ſpectat proviſio, Gonz. Caſtr. n.10. ſed recte notat Luca n. 20. ejuſmodi appellationes communiter ſola incommoda afferre utrique parti.

* (4) T.1. Reſol. Sac. Congr. Conc. extat Proſperi Lambertini
* tunc a ſecretis ejuſdem Cong. nunc Romani Pontificis egregi-
* us, pereruditusque Diſcurſus circa Appellationes, quæ inter-
* ponuntur, vel a mala relatione Examinatorum, vel ab irra-
* tionabili judicio Epiſcopi in proviſione Eccleſiarum Parochia-
* lium per concurſum. Sed præ ceteris legenda, & ſervanda eſt
* ab eodem Pontifice Conſtitutio hac de re edita 14. Decemb. 1742.
* in qua & habendorum Concurſuum norma decernitur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

* CUm illud ſemper plurimum formidaverit Eccleſia Catho-
* lica, ne indignis quibuſque, & extra Sacerdotale meri-
* tum conſtitutis Cura animarum, & Dominici Gregis cuſto-
* dia crederetur; quia totius Familiæ ſtatus, & ordo nutat, ſi
* quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: Hinc
* Canonicis Sanctionibus, ac præſertim Sanctæ Tridentinæ Sy-
* nodi Decretis provide conſultum eſt, regimen Eccleſiarum
* Parochialium iis eſſe committendum, quorum omnis ætas a
* puerilibus exordiis ad perfectiores annos per diſciplinæ Eccle-
* ſiaſticæ ſtipendia ita cucurriſſet, ut de illorum ſupra alios pro-
* vectione, ac potiori doctrinæ, morum, ac diuturni laboris
* ſuffragio nefas eſſet dubitare. Quia vero pernicioſa apud plu-
* rimos opinio ſenſim invaluit, Tridentini Decretis non præ-
* ſcriptam eſſe Dignioris electionem; ſed caveri tantummodo,
* ne indignis Eccleſiæ Parochiales aliaque Beneficia, quibus
* Cura imminet animarum, conferentur: San. mem. Innocen-
* tius XI. Prædeceſſor Noſter erroneam doctrinam a vera & ſin-
* cera Patrum mente longius deflectentem damnavit, & edo-
* cuit, quam prudens, ac diligens eſſe debeat Paſtoralis Officii
* diſpenſatio.

* Ad tramites idcirco ejuſdem Sanctæ Synodi uſu receptum
* eſt, occurrente Parochialis Eccleſiæ vacatione, quæ libere ab
* Ordinario conferenda ſit, Concurſum inſtitui, ut habita in eo
* de cujuslibet ætate, moribus, doctrina, & ſufficientia, ſoler-
* ti inquiſitione, Epiſcopus eligat quem ceteris magis idoneum
* judicaverit.

* At quia contingere quandoque poteſt, quod favore, vel gra-
* tia, vel minus æquo judicio minus Digni Dignioribus præ-
* ponantur: San. mem. Pius V. Noſter Prædeceſſor, ne quid
* in hujuſmodi electione eſſet inordinatum, atque præpoſterum,
* edicta ſaluberrima Conſtitutione licere voluit injuſte in Con-
* curſu rejectis, interpoſita ad Metropolitanum, vel Epiſcopum
* viciniorem, vel Sedem quandoque Apoſtolicam appellatione,
* Præelectum ad novum examen provocare, & Eccleſiam alte-
* ri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, ſi ita
* jus eſſet, vindicare. Et ne frivolæ appellationis diffugio locus
* eſſet, provide ibidem cautum eſt, dictæ appellationi in de-
* volutivo tantum deferri oportere, non ſuſpenſa, aut quoquo-
* modo retardata Præelecto ab Ordinario Parochialis Eccleſiæ
* poſſeſſione.

* Conſultiſſimæ hujuſmodi leges eum in finem inſtitutæ,
* ne in tanti momenti re imperiti magiſtris, novi antiquis,
* rudes præferantur emeritis, violatæ ſunt hominum fraude, &
* malitia, ipſa medela vulnus exaſperantium. Sæpiſſime enim
* rejecti ab Ordinario dictæ Conſt. obtentu in vocem Appellationis
* facile prorumpere, & minus legitima concurrente cauſa electos ab
* Epiſcopo ad novum Examen provocare conſueverant; illoſque

præterea relicta Gregis, & Eccleſiæ cuſtodia longum iter arripere, & diuturni laboris, temporis, & pecuniæ impenſa exhauſtos, litem in ſecunda, tertia, & ulteriori quandoque inſtantia ſuſtinere cogebant.

* Quin etiam experientia compertum eſt, magno juſtitiæ detrimento litem ipſam abſolvi. Quandoquidem ii, qui Examini ſe ſubjecerant, atque in primævo Concurſu utpote legitimarum Inſtitutionum neſcii rejecti fuerant, longa poſtmodum decurrente lite, ſedulam litteris ex induſtria navantes operam, præferri aliis merebantur, & acerbe ſuccenſebant Epiſcopo, judici quidem adeptæ, non autem adipiſcendæ peritiæ, per injuriam ſe fuiſſe rejectos.

* Hinc apud bene moratos homines, & juſtitiæ vindices, frequens querelarum occaſio, quibus ſedandis cum Congregatio Concilii Tridentini Interpres omne ſtudium, diligentiamque conferret: Nobis, qui Secretarii munere fungebamur, mandatum eſt, ut ſermone, typis poſtea vulgato, rem ſedulo expendere, ingruentis mali originem, & apta eidem avertendo remedia inveſtigare pro viribus niteremur. Senſus hac de re Noſtros explicantes, vitio potiſſimum laborare comperuimus Praxim examinis oretenus habiti, nec ſcriptis conſignati: Electi ſiquidem ad Curam animarum ab Ordinario Collatore, & ad iteratum Examen coram alio Judice provocati, jus legitimæ Collationis tueri non poterant certo, ac permanenti teſtimonio jam probatæ idoneitatis; ſed a novi Examinis alea ſubeunda coram Judice Appellationis geſtarum rerum prorſus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi Juſtitiæ detrimento recepta in Foro erat opinio, provocari poſſe ad alium Judicem, nullo exhibito indebitæ rejectionis documento. Quod quidem cum a Sacrorum Canonum cenſura longius aberraret, facile huic corruptelæ occurri poſſe cenſuimus, ſi certa primum, & apte diſpoſita habendi examinis forma præſcriberetur; ſi quæſtiones Examinatis propoſitæ, & conſentaneæ illorum reſponſiones, totque rei geſtæ ſeries in ſcriptis redigeretur; & ſi Acta demum totius Concurſus ad Judicem Appellationis integra aſportarentur.

* Inita a Nobis conſilii ratio non ſolum arriſit Congregationi, illam die 16. Novembris 1720. ratam habenti: Sed etiam Pontificii judicii acceſſione roborata fuit a Clemente XI. Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vindice, & aſſertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obſequio, & diligentia exequerentur; iis datæ ſunt die 10. Januarii 1721. opportunæ Litteræ noſtro calamo exaratæ, ejuſdemque Pontificis ſenſu, & oraculo comprobatæ, quarum tenorem etſi alias prælo commiſſum, & inſertum in Bullario dicti Clementis Prædeceſſoris Noſtri, congrue hic duximus referendum.

Reverendiſſime Domine uti Frater.

* *Quod Parochiales Eccleſiæ dignoribus Perſonis gubernandæ traderentur, ſtatuit, ut notum eſt, Sacroſancta Tridentina Synodus ſeſſ. 24. c. 18. ut, vacante Eccleſia Parochiali, indiceretur, & fieret Concurſus; ac, poſtquam Concurrentes ab Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, atque ab Examinatoribus Synodalibus ſaltem tribus examinati, & approbati eſſent, Epiſcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliiſque rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam neceſſariis, & opportunis, digniorem ceteris, magiſque idoneum judicaret. Adjecitque ad hanc Concilii Sanctionem validius confirmandam, re, & nomine Sanctiſſimus Pontifex Pius V. quod, ſi unquam Epiſcopus minus habilem, poſtpoſitis magis idoneis, elegiſſet, poſſent ii, qui rejecti eſſent, a mala ejuſmodi electione ad Metropolitanum, vel, ſi ipſe eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apoſtolicæ Delegatum, vel alias ad ipſam Sedem Apoſtolicam appellare, ac Prælectum ad novum examen coram ipſo Appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare; ea tamen cautione, ut appellatio non in ſuſpenſivo, ſed in devolutivo eſſe deberet; quemadmodum in ejus Conſtitutione, quæ trigeſima tertia eſt, latius cavetur; concludendo, quod, conſtito de prioris Eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis Eccleſia magis idoneo conferatur.*

* *Cum autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bulla examinis in Concurſu peragendi forma, ſeu methodus ulla certa, ac peculiaris ſervanda proponatur; difficile dictu eſt, quanta Examinum aliorum alibi, diverſitas extiterit, atque hinc occaſio querelarum. Nam alicubi, cum non eædem omnibus Quæſtiones, non iidem caſus propoſiti fuiſſent, erant identidem, qui, vel in judicio, vel extra conquererentur, ſibi quidem poſtpoſitis difficiliores, Prælecto autem faciliores ad ſolvendum Quæſtiones obtigiſſe. Alibi vero eædem quidem omnibus Quæſtiones propoſitæ fuerunt, ſed neque hæ, neque datæ a Concurrentibus reſponſiones ſcripto, ſeu litteris conſignabantur. Cumque poſtmodum, nec raro contingeret, ut e poſtpoſitis quiſpiam jure Bullæ ſupradictæ, novum ad Examen coram Judice Appellationis, ejuſque Examinatoribus Electum provocaret: Sacra Congregatio uſque ab anno 1603. conſiderans gravamen non alia ratione, quam novo examine probari poſſe; provocationem ad novum examen cenſuit admittendam, gravamine nec dum probato, & requiſitis tantummodo probationibus in ſubſequenti judicio, in quo, probato per novum examen Appellationis gravamine quoad doctrinam, probanda ſupereſt ejuſdem præ jam electo in reliquis ad regendam Eccleſiam requiſitis præſtantia, ut de majori alterutrius ad Parochialis Eccleſiæ gubernium idoneitate Sententia ferri poſſit; cum non continuo, ſi quis eſt doctior, is etiam aptior, ſeu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus ſit. Quam Sacræ Congregationis Sententiam Scriptores, & Tribunalia laudarunt. Aliis demum in Diœceſibus laudabilis invaluit conſuetudo, ut eædem omnibus Quæſtiones, iidemque caſus proponantur; ac (ne qua detur anſa Cancellario quidquam ſuo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipſimet Concurrentes, quæ interrogati fuerint, quæque reſponderint, ſua manu præſcribant.*

* *Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam, atque etiam conſiderandum, reliquerunt, his, qui ſic examinati eſſent, atque poſtpoſiti, in poſterum, ut ſolent, Appellantibus, indulgenda, nec ne ſtatim Electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis prærequiſita probatione, videretur; cum iſti ex actis primi examinis gravamen Doctrinæ facile alioquin probare poſſent; quod alii aliter nimirum examinati probare, niſi ſecundo, ſeu novo examine non poterant. Nec defuere alii probitatis, ac peritiæ in adminiſtrandis diu Eccleſiis laude præſtantes, qui monerent, frenum aliquod hujuſmodi Appellantium licentiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes eſſe reprimendas: quippe quæ vix unquam ſine magno Eccleſiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram Judice Appellationis longe procul a Parochia peragendum ſit; Electus ab Epiſcopo, qui provocatur, Parochiam, quam poſſidet, cogitur interea temporis deſerere, eamque Œconomo, vel Vicario cuipiam, veluti Sponſam ignotis Cuſtodibus, relinquere Sponſo non parumper, ſed diu ſane abſuturo: dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis, examina ſuper præſtantia primum doctrinæ tum deinde aliorum, quæ ad integrandam idoneitatem opportuna ſunt, contentioſe multiplicentur, & commode, ne dicam otioſe, tranſigantur, antequam deliberari poſſit utri Concurrentium Parochia ſit adjudicanda.*

* *Ad tollendam ejuſmodi non minus querelarum, quam incommodorum occaſionem, Sac. Congreg. Conc. Trid. Interpres, poſtquam rem omnem a capite repetitam in gemina ſeſſione 1. Octob. & 16. Novemb. 1720. ſummo ſtudio recognovit tandem, Sanctiſſimo etiam annuente, ſtatuit (quod per præſentes Litteras encyclicas exequitur) omnes, & ſingulos Epiſcopos, alioſque Prælatos, penes quos ſit jus, & authoritas faciendi Concurſum, hortari, ut examen ejuſmodi inſtituere non graventur, quale jam & multæ Diœceſes, & Urbs ipſa obſervat, atque Apoſtolica etiam Dataria poſtulat, ſive, cum, Sede vacante, vacat Eccleſia aliqua Parochialis, cujus collatio ad Sedem Apoſtolicam pertineat; ſive cum vacat Parochialis aliqua, ut dicitur, juxta Decretum, ſive demum, cum, vacante in Collegiatis, aut Cathedralibus Eccleſiis Dignitate aliqua majori, annexam habente Curam animarum faciendus eſt Concurſus, atque ad Apoſtolicam Datariam tranſmittendus, ut notum eſt, atque in Litteris, quæ de ordine Sanctiſſimi, tunc e Dataria prodeunt, clare præſcribitur.*

* *Vacante itaque Eccleſia Parochiali, quæ conferenda ſit per Concurſum, atque hoc ſolitis formulis indicto, hæc, quæ ſequuntur, ex Sac. Congreg. Sententia, conſilio, ſuaſione, ſervanda proponuntur.*

* *Primum nempe, ut aſſignentur eædem omnibus Concurrentibus Quæſtiones, iidem Caſus, idemque Textus Evangelii, ſuper quo ſermonis aliquid perſcribunt, ad probandam dicendi pro concione facultatem.*

* *Alterum, ut Caſus, & Quæſtiones reſolvendæ dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore Textus Evangelii tradatur.*

* *Tertium, ut certum, idemque omnibus ſpatium temporis conſtituatur, intra quod Caſus reſolvant, Quæſtionibus reſpondeant, Conciunculam componant.*

* *Quartum, ut eodem Concurrentes omnes in Conclavi claudantur, unde, quandiu ſcribent (dabitur enim omnibus ſcribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quiſpiam eo ingredi poſſit, niſi poſtquam ſcripta confecerint, & exhibuerint.*

* *Quintum, ut omnes ſua quiſque manu tum reſponſa, tum ſermonem ſcribant, ſubſcribantque.*

* *Sextum, ut reſponſa quidem latine, ſermo autem ea, qua ad populum haberi ſolet, lingua ſcribatur.*

* *Poſtremum, ut unumquodque reſponſum, & unuſquiſque ſermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non ſolum ab eo, qui ſcripſit atque a Cancellario Concurſus, verum etiam ab Examinatoribus, & ab Ordinario, vel ejus Vicario, qui Concurſui interfuerint, ſubſcribatur.*

* *Peracto ſecundum hanc formulam Concurſu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicatus fuerit, Eccleſia Parochiali, non admittatur Appellatio aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Epiſcopi, niſi intra decem dies a die Collationis interponatur.*

* *Si quis autem hoc intra ſpatium appellaverit, Actaque Concurſus petat ad Judicem Appellationis transferenda: mittantur vel Acta ipſa originalia Concurſus clauſa, & obſignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a Cancellario Concurſus, atque altero Notario collatum, & auſcultatum coram Vicario, vel alio in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi electio pertinebit, nec non ab Examinatoribus Synodalibus, qui Concurſui interfuerunt, ſubſcriptum.*

* *Ex quibus dictis, vel authentico eorum exemplo niſi gravamen, quoad doctrinam probet is, qui ſic, ut præmittitur, examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Epiſcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sac. Congr. fruſtra poſtulabit.*

* *Quemadmodum & judicio Apellationis perſequi jus ſum fruſtra tentabit is, qui forte ſe gravatum doleat quoad reliqua, niſi, interpoſita mature, ut dictum eſt, Appellatione ab irrationabili judicio Epiſcopi, gravamen quoad illa oſtenderit vel ex actis primi Concurſus, vel ſaltem ex atteſtationibus, & documentis extrajudicialibus etiam, ſed non levibus.*

* *Atque ita quidem ſenſit Sac. Congr. & Sanctiſſimus aſſenſit. At ſi quis tamen Ordinariorum aliter, ac ſupra deſcriptum eſt, Concurrentium examina inſtituere perrexerit, perget & S. ipſa Cong. more priſtino Appellantibus, qui ſe gravatos dixerint, provocationem ad*

novum

novum examen, nulla gravaminis prævia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, vult eadem Sacr. Congr. eas uniuſcujuſque Ordinarii Cancellaria perpetuo conſervari. Cujus interea conſilium, tum voluntatem dum ego omnibus ſignifico, Amplitudini Tuæ fauſta omnia e Cœlo precor.

* *Romæ hac die 10. Januarii 1721. Amplitudini Tuæ.*

Uti Frater

M. P. Card. Corradinus Præfectus.

P. Lambertinus Secretarius.

* Quantum recte diſpenſandis Eccleſiaſticis muneribus, adminiſtrandæ juſtitiæ, componendis diſſidiis, continendiſque in officio Clericis proficeret ſaluberrima præmiſſarum legum inſtitutio, ſatis ſuperque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum Eccleſiam, ac deinde Bononienſem Sponſam noſtram paterna charitate cominus amplecteremur: Freti ſiquidem dictarum legum præſidio Digniores Parochiis, & Curæ animarum præfecimus: Tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum conſenſione, ut nemo queſtus ſit, traditum minus Digno celſioris loci præmium, vel minus juſte alteri credita vacantis Eccleſiæ gubernacula. At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Epiſcopis contigiſſe, imo non deeſſe, qui privatis abrepti ſtudiis, ſæpe declinare, ac redarguere Judicium Epiſcopale præſumant: Nos propterea ſoliciti de implendis, prout decet, muneris Noſtri partibus, nonnulla præfatis Litteris addenda, nonnulla vero tacite, breviterque ibidem tradita, clarius explicanda cenſuimus, ut recte omnia, atque ex ordine peragantur.

* Mœrentes igitur audivimus, quod in pleriſque Diœceſibus etſi recepta ſit laudabilis, firmiterque cuſtodienda conſuetudo in ſcriptis redigendi examen Concurrentium: Nihilominus Examinatorum Suffragia in ſola litterarum peritia verſantur, nec illorum exquiritur ſententia de Clericorum ætate inſtitutione, gravitate, & honeſtate morum; prudentia, muniis antea exercitis, & an tales demum ſint, qui Oves ſuas verbo, & exemplo juvare poſſint. Quam devia ſit hujuſmodi praxis a Tridentini ſemita, is plane intelliget, qui expendet verba relata *cap.* 18. *Seſſ.* 24. *de Reform. Peracto, deinde examine, renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis.* Idque probe noſcens Congregatio ejuſdem Concilii Interpres pluries edixit, Examinatores ſuo deeſſe muneri, ſi doctrinæ tantum Judices eſſent, nec inquirerent qui præ aliis probitate morum, laboribus, præſtito antea Eccleſiæ obſequio, ceteriſque dotibus ad Officium Parochi cumulate obeundum neceſſariis, eſſent idonei, & commendabiles.

* Abſoluto Examine, ut cuique ſatis compertum eſt, fit tantummodo poteſtas Examinatoribus renuntiandi quotquot regendæ Eccleſiæ idoneos judicaverint, reſervata uni Epiſcopo electione Dignioris, quemadmodum ſancitum eſt a Tridentino illis verbis: *Ex hiſque Epiſcopus eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit*: At ſi quem Clericorum forte contigerit appellare a mala relatione Examinatorum, quorum cura unice verſata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore ſolerti etiam inveſtigatione aliarum qualitatum, quæ Paſtoris congruant officio: Ordo judicii ſecum feret, ut etiam Judex, ad quem provocatum fuit, in ſola doctrinæ indagine immoretur: Nec ſine gravi animarum detrimento, & diſciplinæ injuria præficiatur Eccleſiæ qui litteris magis pollet, licet cetera minus aptus, & quandoque indignus: Contra vero arceatur ille, qui licet impar doctrinæ merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno Eccleſiæ famulatu, ac multiplici virtutum laude præcellit.

* Factum præterea ſatis extirpandis abuſibus non videtur, ſi tam Epiſcopus, quam Examinatores conjunctis ſtudiis, induſtriæ nervos omnes intenderint in conferenda concordi judicio Eccleſia Perſonæ, quæ licet ſcientia, & litteris alteri concedat, majori tamen ceterarum qualitatum eminet ornamento: Siquidem Poſtpoſitus, ſuæ nimium fidens doctrinæ, ab irrationabili Judicio Epiſcopi non raro appellat; Cauſſaque ad Judicem Appellationis delata, idem totus eſt in perquirenda majori doctrina, ac reparando gravamine litterato homini irrogato, nuſquam liberato aliarum virtutum pondere, quæ in Appellante deſiderantur: Lugentque ut plurimum vigiles Eccleſiarum Antiſtites exitum hujuſmodi Appellationis, intimeque dolent, Parochias doctis, non aptis Paſtoribus, ut dictum eſt, regendas committi.

* At ſi Judex etiam Appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens ſcientiæ, quantum ſatis, majori, & accuratiori examine inquirat, qui mores hominum ſint, quæ gravitas, prudentia, qui ſuſcepti antea labores, quæ virtutum ſpecimina, quæ demum totius anteactæ vitæ ratio, paſcendo Gregi conſentanea: Tot Judici exhibentur atteſtationes ab Appellante ex induſtria collectæ, ut, revocato Epiſcopali judicio tanquam irrationabili, non vereatur Judex ſuccurrere eidem Appellanti, quem tam copioſa, tamque conſpicua probitatis adjuvant documenta.

* Demum cum præcipue Epiſcopis, tanquam in ſpecula conſtitutis pateant Subditorum exceſſus, contingere ſolet, ut in Concurſu tam inſpecta ſcientia, quam moribus ille idoneus ab Examinatoribus renuntietur, cui fœda aliqua vitii labes, ac criminis macula inuſta ſit, omnibus, præterquam Epiſcopo, occulta. Si Epiſcopus juſta ſuadente cauſſa crimine non revelato, eumdem criminoſum tacitus præterierit, aliumque immunem a ſorde prælegerit: Illico Poſtpoſitus ſimulato gravamine provocat ad Superiorem Judicem criminis ignarum, & conſueto diffugio Appellationis evehitur ad Paſtorale faſtigium qui non poteſt conſulere Populo, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen.

* Ne igitur improbi ingenii homines remedium Appellationis ad juſtitiæ præſidium inſtitutum, callide traducant ad iniquitatis defenſionem: Optimum factu aliquibus fortaſſe videretur, ſi Appellatione quavis ſublata, cura præficiendi Rectores animarum prorſus relinqueretur Epiſcopis, rationem villicationis ſuæ Chriſto Judici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id poſſumus, quod adverſaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis Appellationem in devolutivo a mala relatione Examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: *Nec prædictorum Examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio, & Appellatio, etiam ad Sedem Apoſtolicam, ſive ejuſdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuntios, ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Pariarchas interpoſita impediat, aut ſuſpendat*: Cui Sanctioni reſpondet etiam Conſtitutio *Piana*, admittens Appellationem in devolutivo ab irrationabili Judicio Epiſcopi.

* Qua de re, ut in huiuſmodi negotio apte omnia, atque compoſite peragantur, Officii Noſtri eſſe duximus, eum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem præſcribere, quem longo uſu utilem agnovimus inſtituendis animarum Rectoribus, qui credito ſibi Gregi præeſſe, & prodeſſe poſſint.

* I. Epiſcopus, habita notitia vacationis Eccleſiæ ſtatim, ad præſcriptum Tridentini, idoneum in ea deputet Vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis aſſignatione, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore provideatur.

* II. Publico evulgetur Edicto notitia Concurſus, congruo, & ab Epiſcopo præfinito tempore celebrandi: eodemque Edicto omnes clare, & aperte moneantur, ut interim decurrente termino aſſignato, coram Cancellario Epiſcopali, vel altero ab Epiſcopo deputando, ſuarum qualitatum, meritorum, & munerum probationes, atteſtationes, tam judiciales, quam extrajudiciales, aliaque id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeant: Alioquin dicto termino elapſo Documenta hujuſmodi quæcumque, & qualiacumque ea ſint, nullatenus recipientur.

* III. Eveniente die Concurſus, a Cancellario Epiſcopali ſingulorum merita, qualitates, & Requiſita (ut vocant) incorrupta fide deprompta a Juribus tempore habili exhibitis, in ſcriptis ſummatim redigantur. Porro copia Epitomes tradetur non ſolum Epiſcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti; ſed ſingillatim omnibus Examinatoribus ad Concurſum adſcitis, ut cum de ſcientia, tum de vita, moribus, aliiſque regendæ Eccleſiæ neceſſariis dotibus ferant judicium.

* IV. Die præſtituta ab Epiſcopo habeatur Concurſus, ſervata accurate in omnibus forma tradita in ſupra relatis Litteris anno 1721. editis, totaque rerum in eo geſtarum ſeries ſcriptis diligenter enucleetur. Porro Examinatores ad aſſequendam certam, & dubiam conjecturam ſcientiæ, poſtquam diligenter expenderint ſingulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo Eccleſiaſticæ Doctrinæ capite, vel a SS. Patribus, vel a Sacro Concilio Tridentino, vel a Catechiſmo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quodlibet ſcripto datas reſponſiones quæſtionibus propoſitis; & poſtquam demum deprehenderint qua quiſque polleat gravitate ſententiarum, & elegantia ſermonis in Conciuncula ſcripto pariter exarata, & Textui Evangelico, vel altero dato Themati accommodata: Parem, ni forte majorem ſolertiam Examinatores adhibeant in præſcrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum conſentaneis; morum honeſtatem inquirant, gravitatem, prudentiam, præſtita hactenus Eccleſiæ obſequia, acquiſitam in aliis muneribus laudem, aliaque ſpectabilium virtutum ornamenta, Doctrinæ arcto fœdere conſocianda; hiſque omnibus conjunctim expenſis, inhabiles per ſua ſuffragia rejiciant, & idoneos Epiſcopos renuntient.

* V. Abſoluto Concurſu ab Epiſcopo, vel, eo impedito, a Vicario Generali una cum Examinatoribus Synodalibus non paucioribus quam tribus, Notula compendiaria Requiſitorum antea diſtributa tradatur Cancellario, qui illam comburat, vel penes Acta ſecreto cuſtodiat, & nemini oſtendat, niſi de mandato Epiſcopi, vel ejus Vicarii Generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis Digniorem, nec illi Poſſeſſio ullo Appellationis, vel Inhibitionis obtentu retardetur.

* VI. Si quem Clericorum appellare contigerit a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili Judicio Epiſcopi: coram Judice Appellationis Acta Concurſus integra omnino producat; & Judex niſi illis viſis, & gravamine comperto, Sententiam non pronunciet. Præterea in ferenda Sententia, ac reparando gravamine idem Judex innitatur ſolummodo probationibus ab Actis elicitis tam reſpectu doctrinæ, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione uſque ad diem habiti Concurſus tantum temporis interceſſit, quantum ſatis fuit commode exhibendis neceſſariis juribus, atteſtationibus, requiſitis, aliiſque meritorum documentis; idcirco, ut quævis via fraudibus præcidatur, volumus, ac diſtricte mandamus, ne dd. Atteſtationes, Fides tam judiciales, quam extrajudiciales, & documenta quæcumque ſtudioſe conquiſita, & poſt Concurſum, ut ajunt, expiſcata ullo modo recipiantur: Non obſtantibus ſupra memoratis Litteris, a Congregatione Concilii Tridentini Interprete anno 1721. editis, quibus ad præmiſſorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in ſuo robore permanſuris.

* VII. Ubi vero Epiſcopus, poſthabito uno, vel altero ex approbatis, Eccleſiam contulerit magis ideo ob aliquam ſibi ipſi tantum notam cauſſam, quam cenſeat ſignificari oportere Judici Appellationis, ad detegendam injuſte fortaſſe prælectionis notam: Familiaribus litteris Judicem certiorem efficiat, inviolabilis ſecreti lege adjecta. Nemo ſit, qui hanc praxim Noſtræ tribuat ſolertiæ, cum illa profluat a Tridentini Decretis. *Seſſione* etenim 24. *cap.* 20. *de Reform.* ita diſponitur: *Præterea ſi quis in caſibus a Jure permiſſis appellaverit, aut de aliquo gravamine conqueſtus fuerit, ſeu alias ob lapſum biennii, de quo ſupra,*

* *ad*